MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80774-11

AUTHOR:
SEIPPEL, RUDOLF

TITLE:
DE VETERUM SCRIPTORUM GRAECORUM . . .

PLACE:
GRYPHIAE

DATE:
1903

Master Negative #

92-80774-1R

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Seippel, Rudolf, 1879-
De veterum scriptorum Graecorum ratione auctores laudandi. Dissertatio...quam...defendet auctor Rudolfus Seippel... Gryphiae, Abel, 1903.
62 p. 23 cm.

Thesis, Greifswald.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6-3-93 INITIALS MCG
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE VETERUM SCRIPTORUM GRAECORUM RATIONE AUCTORES LAUDANDI

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
UNIVERSITATE GRYPHIENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXVII. MENSIS IULII
HORA XII
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

RUDOLFUS SEIPPEL
SAXO-BORUSSUS

ADVERSARII ERUNT
GUALTHERUS BARTHEL STUD. PHIL.
GUALTHERUS ZINZOW STUD. PHIL.

GRYPHIAE
TYPIS IULII ABEL
MCMIII

Consensu et auctoritate ordinis philosophorum dissertationem typis expressam esse testatur

E. Cohen
ordinis philosophorum h. a. decanus.

Ad ordinem philosophorum de comprobanda dissertatione rettulit

A. Gercke
professor p. o.

ALFREDO GERCKE

SACRUM

De veterum scriptorum Graecorum, qui ante Alexandrum Magnum fuerunt, ratione auctores laudandi quaerere non solum operae pretium sed etiam opus est. Nam adhuc plurimi viri docti, qui locos laudatos librorum veterum scriptorum Graecorum respexerunt, nihil aliud nisi quid laudaretur quaesiverunt. Atque mirum est, quod quamquam loci laudati ad antiquarum litterarum scientiam constituendam plurimum valent, tamen quanam ratione auctores a veteribus scriptoribus Graecis laudarentur nemo adhuc satis quaesivit. Cuius rei initium fecerunt et Lohan,[1]) qui omnes locos, quibus a veteribus scriptoribus Graecis libri laudantur, collegit, et Ludwich, qui in libro, quem *Die Homervulgata als voralexandrinisch erwiesen* inscripsit, omnibus fere locis, quibus Homeri versus et sententiae a scriptoribus, qui ante tempora Alexandrina fuerunt, exscriptae sunt, compositis ea, quae ipse de veterum auctorum ratione versus adferendi observavit, addere non omisit (§§ 24—26).

Hi sunt libri, qui mihi videntur maximi momenti esse. Praeterea alii aliis locis res quasdam attigerunt, inter quos Norden in libro illo egregio de veterum scriptorum sermone artificioso scripto (*Die antike Kunstprosa* I 89) rationem versus orationi intexendi commode adumbravit. Omitto Roemerum (*Sitzb. d. Bayr. Akad. (1884)*, p. 269 sqq.) et Vahlenum (*Sitzb. d. Berl. Ak. (1902)*, p. 166 sqq.), qui de Aristotelis consuetudine laudandi auctores quaesiverunt, quia in nullorum nisi eorum scriptorum, qui ante Aristotelis tempora libros oratione arte vincta populariter scripserunt, laudandi ratione tractanda versari mihi in animo est. Quam ad quaestionem instituendam versus ab auctorum

---

1) De librorum titulis apud classicos scriptores Graecos nobis occurrentibus. Diss. Marp. 1890.

pedestrium verbis laudatis seiungi ipsa quaestione progrediente comprobabitur. Cum autem scriptorum ratio laudandi poetas eorumque versus facilius altera perspici posse videatur, ab ea disserendi initium faciamus.

Pars I.

Numerum versuum a scriptoribus Graecis laudatorum plurimum esse iam Hermogenes eo libri, qui περὶ ἰδεῶν inscribitur, loco, quo de versibus orationi pedestri inserendis verba facit, dicit: καὶ ἀφθονία παραδειγμάτων ἐστίν, εἴ τις ἐκλέγειν παρ' ἑκάστου βούλοιτο (Rhet. Graec. rec. Spengel. II, p. 363,4). Laudantur pro hoc numero etiam multi poetae, inter quos ceteris poetis Homerus ab omnibus scriptoribus praefertur. Cuius e carminibus philosophos antiquos, qui in naturalis philosophiae studio floruerunt, doctrinas hausisse veteres arbitrabantur (Sengebusch, Diss. Hom. pr. pp. 131, 135, 137). Etiamsi res aliter se habet, tamen omnes eum respexisse videntur (Friedel, De philos. Graec. stud. Hom. I). Sed cum Anaximandri et Anaximenis scripta nobis parum cognita sint, nec non logographorum, quo in numero qui est Hecataeus cur non versus epicos sicut Herodotus laudaverit, non est, Homerus in auctorum pedestrium Graecorum eis reliquiis primis, quae ex Heracliti libro sumptae sunt, legitur. Cuius unius e numero scriptorum, qui ante Herodotum floruerunt, fragmenta talia sunt, ut ad hanc quaestionem instituendam respicienda sint. Homerum enim sicut Archilochum, quos e certaminibus eiciendos et virgis caedendos vult, fr. 42 (Diels *D. Fragm. d. Vorsokr.* p. 73) reprehendit. Neque minus contemptim aliis fragmentis Hesiodum et Xenophanem nominat (D. 40; 57, Byw. 16; 35). Praeterea eum iterum Homerum de versu Σ 107 reprehendisse ex Aristotelis Eth. Eud. VII 1 p. 1235 a 26 (Byw. fr. 43) scimus. Quae fragmenta, quamquam non docent, num Heraclitus versus ipsos poetarum laudatorum exscripserit, tamen in hanc quaestionem cadunt. Neque enim Heraclitum versus exscripsisse propter eius genus dicendi obscurissimum atque brevissimum verisimile est, sed nomina poetarum adferre atque nonnumquam res significare videtur contentus fuisse. Quis ergo auctorum pedestrium Graecorum primus versus exscripse-

rit, diiudicari iam non potest. Hoc tantum dicere possumus, poetam quendam versuum laudandorum initium fecisse videri. Nam cum a Xenophane similiter atque ab Heraclito (Diels, p. 53, 11) reprehendi Homerum atque Hesiodum videamus, Simonidis versus quidam, quibus velut si scriptor pedestris sit, versum Homericum (Z 146) laudat, nobis traduntur (Bergk, Poet. Lyr. Graec. III^4 425 fr. 85). Ut hoc scire parvi intersit, non tamen id neglegendum est, quod non multo post initium oratione soluta conscribendi libros factum ea, quae antea composita erant, quae non alia fere nisi carmina fuisse facile intellegitur, in libris respiciebantur.

Ab Heraclito ad ceteros scriptores transgressi, quo plenius atque magis continuum scriptorum genus dicendi fiat, eo plenius auctores laudari observamus. Neque enim Herodotus atque ceteri scriptores contenti sunt poetas nominare, sed versus ipsos exscribunt. Arbitrio suo saepe his illos adiciunt, saepe, cum versus laudent, auctores omittunt aut non accurate nominant. Ex huiusmodi locorum multitudine paucos adferre mihi liceat. Quod Thucydides I 10,1 ποιητάς et I 5,2 τοὺς παλαιοὺς τῶν ποιητῶν et I 13,5 τοὺς παλαιούς adfert, de Homero cogitare videtur (Poppo, Thucyd. d. b. Pel. ll. VIII pp. 15, 40). Apud Xenophontem legimus Mem. I 2, 20: μαρτυρεῖ δὲ καὶ τῶν ποιητῶν ὅ τε λέγων· Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἐσθλὰ διδάξεαι κτλ., vel Mem. I 3, 3: ἐπαινέτης δ'ἦν τοῦ ἔπους τούτου Καδ δύναμιν κτλ. Plato, cum De republ. III 392 E versus quosdam Iliadis (A 15 sq.) vel Legg. VII 803 E Odysseae (γ 26 sqq.) exscribat, non aliter nisi illo ὁ ποιητής auctorem versuum notat. Hoc modo minime eum significare Homerum poetam κατ' ἐξοχήν esse inde apparet, quod Hesiodum, auctorem versuum Legg. X 901 A laudatorum (Op. et D. 303), eodem modo notat.[1]) Adde hos locos: Lys. 212 E, quo loco Plato, priusquam versus ipsos exscribat, similiter atque Xenophon ὁ ποιητής, ὅς ἔφη dicit, et Theaet. 153 D, ubi Hesiodus re quadem e Theogonia (v. 780) sumpta designatur: οὐ γὰρ ἄλλη ἀρχὴ φιλοσοφίας ἢ αὕτη, καὶ ἔοικεν ὁ τὴν Ἶριν Θαύματος ἔκγονον φήσας οὐ κακῶς γενεαλογεῖν.

1) Heine, De ratione, quae Platoni cum poetis Graecorum intercedit, qui ante eum floruerunt, Vratislaviae 1880, p. 74.

Hanc scriptorum rationem laudandi auctores non accuratam esse merito quispiam dixerit. Nam unoquoque loco disertis verbis versuum laudatorum auctores notare eos taeduisse videtur. Neque tamen hoc reprehendere licet, quia toti scriptorum Graecorum generi scribendi convenit, qua de re postea plura verba faciemus.

Sed haec leviora, illa vero gravia, quod quo modo versus a scriptoribus Graecis ipsi laudati sint, quaerimus. Qua de ratione veteres scriptores ipsos nihil dicere facile intellegitur, nisi quod verba quaedam, quae Lysiae attribuenda esse videntur, quorum postea mentionem faciemus, huc pertinent. Itaque et e versibus laudatis ipsis ratio exscribendi haurienda et fides habenda est Hermogeni,[1]) qui est inter rhetores illos clarissimos, quorum in iudicio, si de veterum scriptorum genere dicendi nobis iudicandum est, nos stare oportet. Nam eos ut homines Graecos talia melius nobis intellexisse consentaneum est. Hermogenes et in libro, qui περὶ μεθόδου δεινοῦ inscribitur, et in eo, quem supra commemoravimus, de versibus orationi pedestri inserendis praecepta dat, quae exemplis e libris scriptorum Atticorum, ad quos haec quaestio ipsa quoque pertinet, haustis illustrat. Illo libro (Rhet. Graec. II, p. 450) versus κατὰ κόλλησιν orationi inditos, id quod Blass sic interpretatur: „mit ganz engem Anschluss an das vom Redner Gesagte", ab eis, qui κατὰ παρῳδίαν adferantur, discernit. Quae ratio eadem fere est atque παραπλοκή (Thes. Graec. Ling. VI 561), quam cognituri sumus.

Quibus multo graviora ea sunt, quae Hermogenes altero in libro digressione a dulci sermone explicando facta (Rhet. Graec. II, p. 362) de versibus laudandis praecipit. Postquam enim, sicut dialectus Jonica dulcis esset, cum tamquam poetae esset, ita nos versibus orationi intextis delectari exemplis prolatis dixit, hoc, quod nostra valde interest, statuit: εἰδέναι μέντοι χρὴ ὅτι αὗται αἱ παραπλοκαί, εἴτε ἰδίων εἴτε ἀλλοτρίων εἶεν ποιημάτων, εἰ μὴ οὕτω παραπλέκοιντο, ὥστε ἓν δοκεῖν εἶναι σῶμα αὐτῶν τε καὶ τοῦ πεζοῦ λόγου, ἀλλ' ἐκ διαστάσεως λέγοιντο, ὥσπερ οἱ νόμοι καὶ τὰ ψηφίσματα

1) Blass Att. Ber. III,2 p. 119,1. Norden 89,3.

ἐν τοῖς λόγοις, ὅτε ἀναγιγνώσκοιντο, οὐ ποιοῦσιν ἀκριβῆ τὴν γλυκύτητα κτλ. (p. 363,21). Hoc igitur loco Hermogenes eos versus, qui quamquam ex aliis libris sumpti sunt, tamen ut proprii orationi solutae sunt intexti (αἱ παραπλοκαί), plane ab eis, qui ἐκ διαστάσεως λέγονται, id est, qui ab auctoris versus adferentis verbis dilucide seiunguntur, discernit atque dulcitudinem sermonis ferre, ut versus orationi pedestri sic intexantur, ut ex oratione soluta et versibus laudatis sermo simplex et unus fiat, significat. Illis igitur Hermogenis verbis, ni fallor, artis scribendi praeceptum quoddam subest, quod non tam eius temporibus, quam eorum, e quorum libris exempla hausit, scriptorum aetate valuit.

Quibus rebus cognitis quem ad modum id, quod Hermogenes docet, veterum scriptorum Graecorum libris confirmetur, quaerendum est.

In numero versuum ab eis laudatorum non iam in Herodoti quidem, sed tamen in Thucydidis et ceterorum scriptis multi sunt, qui verbis praemissis, velut apud Xenophontem Mem. I 2,56: ἔφη δ'αὐτὸν ὁ κατήγορος καὶ τῶν ἐνδοξοτάτων ποιητῶν ἐκλεγόμενον . . . Ἡσιόδου μὲν τὸ Ἔργον δ' οὐδὲν ὄνειδος κτλ. (Op. et D. 311), apud Platonem De republ. IV 441 B: πρὸς δὲ τούτοις καὶ ὅ ἄνω που ἐκεῖ εἴπομεν, τὸ τοῦ Ὁμήρου μαρτυρήσει, τὸ στῆθος δὲ πλήξας κτλ. (υ 17) — similia plurimis aliis locis legimus — a verbis scriptoris non discernantur, sed structurae verborum arte intexantur. Quo modo fit, ut oratio soluta parumper inopinato in orationem poeticam transeat. Hanc rationem, quam descripturi sumus, veteres varie exercent, ita ut versus structurae orationis scriptorum, qui laudant, intexendi aut integri inserantur aut, utcumque res postulat, commutentur.

Illius modi exemplum optimum versu Homerico a Thucydide I 9,4 exscripto praebetur: καὶ ἐν τοῦ σκήπτρου ἅμα τῇ παραδόσει εἴρηκεν αὐτὸν „πολλῇσιν νήσοισι καὶ Ἄργεϊ παντὶ ἀνάσσειν." Hunc versum Thucydides sumpsit integrum ex Iliade (B 108), quo loco cum eo, qui antecedit, versu tam arte, ut vix separari possit, cohaeret. Tamen Thucydides effecit, ut ille versus ex hoc contextu remotus alio e verbo atque eo, quo Homerus usus est, penderet neque mutaretur. Cum apud Homerum infinitivus epexegeticus sit, apud Thucydidem verbis εἴρηκεν αὐτόν accusativus

cum infinitivo fit: qua re factum est, ut non solum structura sed etiam sententia verborum commutaretur. Ceterum hoc loco primo παραπλοκή, quam vocat Hermogenes, nobis occurrit. Simili modo a Xenophonte Conv. 4,45 versus Il. I 122 sq. structurae infinitivi inserti sunt: οὕτω γὰρ πεπαιδευμένος ὑπὸ Ὁμήρου ἀριθμεῖν

ἕπτ' ἀπύρους τρίποδας, δέκα δὲ χρυσοῖο τάλαντα,
αἴθωνας δὲ λέβητας ἐείκοσι, δώδεκα δ' ἵππους,

σταθμῷ καὶ ἀριθμῷ ὡς πλείστου πλούτου ἐπιθυμῶν οὐ παύσομαι. Apud Homerum hi accusativi ex anteeunte ὀνομήνω pendent, apud Xenophontem e verbo ἀριθμεῖν. Versus igitur propterea, quod et ὀνομήνω et ἀριθμέω cum accusativo coniunguntur, non mutati sunt. Complures huiusmodi loci apud Platonem inveniuntur, quo ex numero unum exscribere mihi liceat, Gorg. 526 C.: ὁ δὲ Μίνως ἐπισκοπῶν κάθηται μόνος ἔχων χρυσοῦν σκῆπτρον, ὥς φησιν Ὀδυσσεὺς ὁ Ὁμήρου ἰδεῖν αὐτὸν

χρύσεον σκῆπτρον ἔχοντα, θεμιστεύοντα νέκυσσιν (λ 569).

Praeter modos laudandi versus adhuc tractatos alii in nullius nisi Platonis et Demosthenis scriptis inveniuntur, non solum quod Plato pro maiore librorum numero saepius versus laudat, sed etiam quod eius atque Demosthenis genus dicendi plenius atque perfectius quam ceterorum est. Primum versus cum sermone coniunctionibus illis ὅτι et ὡς post verba dicendi positis coniunguntur, velut Charm. 161 A: Ὁμήρῳ οὐ πιστεύεις καλῶς λέγειν, λέγοντι ὅτι

αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένῳ ἀνδρὶ παρεῖναι (ρ 347),

De rep. II 364 C, III 390 E, Lys. 215 C, Prot. 341 E, Gorg. 484 B. Sed hoc modo versus cum sermone laxe coniunguntur, multo artius eisdem coniunctionibus post alia verba atque verba dicendi positis, velut De rep. III 408 A: ἢ οὐ μέμνησαι, ὅτι καὶ τῷ Μενέλεῳ ἐκ τοῦ τραύματος οὗ ὁ Πάνδαρος ἔβαλεν

αἷμ' ἐκμζσαήυντ' ἐπί τ' ἤπια φάρμακ' ἔπασσον κτλ. (Δ 218 sq., Ludwich p. 135), et De rep. V 468 E. Idem dici potest de De rep. III 390 A, quo loco ὅταν adhibetur. Demosthenes versum Hesiodeum (Op. et D. 763) integrum structurae enuntiati, quod a coniunctione ὥστε incipit, accommodat (XIX 243). Deinde versus

cum sermone particulis coniunguntur, velut Prot. 346 C: ταῦτα δὴ καὶ τῷ Πιττακῷ λέγει, ὅτι Ἐγώ, ὦ Πιττακέ, οὐ διὰ ταῦτά σε ψέγω, ὅτι εἰμὶ φιλόψογος· ἐπεὶ

ἔμοιγ' ἐξαρκεῖ ὃς ἂν μὴ κακὸς ᾖ κτλ. (Hermann in Heindorf. ed., Bergk. Poet. Lyr. III^4, fr. 5 Sim.). Tum eo, quod structura versuum idonea est, qua integri contextui inserantur: Gorg. 484 B: οὗτος δὲ δή, φησίν, ἄγει δικαιῶν τὸ βιαιότατον ὑπερτάτᾳ χειρί κτλ. (Bgk. Poet. Lyr. I^4 fr. 169 Pind.). Similia Phaedr. 242 C legimus.

Quae exempla quo modo toti versus structurae orationis pedestris numero non mutato inserantur docent. Alii versus, qui structurae sermonis accommodantur, mutandi sunt et ei plerumque, qui structurae accusativi cum infinitivo coniuncti accommodandi sunt. Quod cognoscere licet e verbis Iliadis (Ψ 335), quae Niceratus apud Xenophontem (Conv. 4,6) dicit: καὶ ναὶ μὰ Δί', ἔφη, ἔγωγε ὅτι ἁρματηλατοῦντα δεῖ ἐγγὺς μὲν τῆς στήλης κάμψαι,

αὐτὸν δὲ κλινθῆναι ἐυξέστου ἐπὶ δίφρου
ἦκ' ἐπ' ἀριστερὰ τοῖιν, ἀτὰρ τὸν δεξιὸν ἵππον
κένσαι ὁμοκλήσαντ' εἶξαι τέ οἱ ἡνία χερσί.

Hic accusativum cum infinitivo coniunctum, qui e praecedente δεῖ pendet, videmus, legimus in Homeri verbis αὐτός et ὁμοκλήσας, casus nominativos. Quos Xenophon, qui Niceratum oratione obliqua dicere incipientem facit, si quidem versus ipsos exscribere volebat, adductus est, ut in αὐτόν et ὁμοκλήσαντ', casus accusativos, commutaret (Ludwich p. 112). Ut hoc loco ita ne apud Platonem quidem De rep. II 363 A hac re versus numerus turbatur: ὥσπερ ὁ γενναῖος Ἡσίοδός τε καὶ Ὅμηρός φασιν, ὁ μὲν τὰς δρῦς τοῖς δικαίοις τοὺς θεοὺς ποιεῖν

ἄκρας μέν τε φέρειν βαλάνους, μέσσας δὲ μελίσσας·
εἰροπόκοι δ' ὄϊες, φησί, μαλλοῖς καταβεβρίθασι (Op. et D. 230)

et De rep. 362 A: τῷ ὄντι γὰρ φήσουσι τὸν ἄδικον, ἅτε ἐπιτηδεύοντα πρᾶγμα ἀληθείας ἐχόμενον καὶ οὐ πρὸς δόξαν ζῶντα, οὐ δοκεῖν ἄδικον ἀλλ' εἶναι ἐθέλειν (Aesch. Sept. 577)

βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενον,
ἐξ ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.

Alio loco et numerus perturbatur neque versus plenus reddi-

tur: De rep. II 383 A: οὐδὲ Αἰσχύλου, ὅταν φῇ ἡ Θέτις τὸν Ἀπόλλω ἐν τοῖς αὑτῆς γάμοις ᾄδοντα

ἐνδατεῖσθαι τὰς ἑὰς εὐπαιδίας,
νόσων τ' ἀπείρους καὶ μακραίωνας βίους.
ξυμπάντα τ' εἰπὼν θεοφιλεῖς ἐμὰς τύχας κτλ.

Primum versum hunc fuisse: ὁ δ' ἐνδατεῖται τὰς ἐμὰς εὐπαιδίας Hermannus recte coniecit (Nauck. fr. 350 Aesch.). Sed apud Platonem versus propterea parum plenus est, quod τὸν Ἀπόλλω subiectum ὁ δέ comprehendit. Hac re tamen metrum versus minuitur, nam trimetro iambico prima syllaba brevis deest. Neque hoc loco minus quam De rep. II 363 A Plato versu altero vel tertio ad verba auctoris ipsius, cuius versus sunt, redit, quia omnes versus structurae priorum accommodare difficillimum est. Sequitur, ut versus structurae orationis solutae aptari non possint, nisi singuli aut certe pauci, id quod locis adlatis vidimus. Itaque plurimi scriptores veteres operam dant, ne nimis multos versus deinceps exscribant. Hesiodi enim verba, quae etiam Aristoteles Metaph. I 3 p. 984 b 27 adfert, Plato Symp. 178 A ita exscribit: ἀλλ' Ἡσίοδος πρῶτον μὲν χάος φησὶ γενέσθαι

αὐτὰρ ἔπειτα
γαῖ' εὐρύστερνος, πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί,
ἠδ' Ἔρος.

Plato eos versus, qui apud Hesiodum illud αἰεί secuntur, (Theog. 118) omisit:

ἀθανάτων, οἳ ἔχουσι κάρη νιφόεντος Ὀλύμπου
Τάρταρά τ' ἠερόεντα μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης,

quae verba πάντων ἀθανάτων et explent et explicant. Qua de causa a Phaedro omissa sint, facile intellegitur. Quia enim, ut Amorem deum antiquissimum esse demonstret, Hesiodi verba adfert, neque versibus, quos omittit, quicquam eorum, quae ad rem probandam alicuius momenti sunt, inest, ad ea non spectans nihil aliud nisi id, quod opus est, laudat. Hoc modo locum melius intellegere mihi videor quam Hug (*Platons Symposion* p. 34), qui neque Platoni neque Aristoteli versus omissos notos fuisse arbitratur. Immo non dubium est, quin Aristoteles quoque, quem

aliorum auctorum verba quam brevissime exscribere solere Roemer et Vahlen in libris laudatis optime explicaverunt, hac ratione utatur. Sed revertendum ad Platonem. Qui paulo urbanius eandem suam consuetudinem Gorg. 484 D significat, quo loco id, quod versus silentio praetermittuntur, disertis verbis excusatur. Callicles enim ibi Pindari verba proferre incipit neque ultra tertium versum procedit. E versibus sequentibus primum tantum ἐπεί et aliud, quod postea legitur, scit: λέγει οὕτω πως, τὸ γὰρ ᾆσμα οὐκ ἐπίσταμαι. Cum hoc saepe in vita fieri soleat, Plato hac in re Calliclem optime descripsisse videtur. Sed, ni fallor, sub hac vitae imitatione ars Platonica latet: omnia enim exscribere ipse noluit, huius fidei omnes fere taedebat. Itaque tantum abest, ut Xenophon, cuius ratio, etsi non tam elegans quam Platonis, tamen eadem est, quo loco Sirenum cantum (μ 184 sqq.) commemorat, omnes versus illos notissimos exscribat, ut nullum nisi primum laudet (Mem. II 6, 11). Hoc loco alterius veterum scriptorum Graecorum consuetudinis admonemur, quam hac occasione oblata breviter commemorare liceat. Aristoteles enim περ. σοφ. ἐλ. p. 180 a 20 dicit: καὶ γὰρ τὸ ἥμισυ εἰπόντες τοῦ ἔπους δός μοι Ἰλιάδα σημαίνομεν, οἷον τὸ Μῆνιν ἄειδε θεά, quibus verbis carmina primis verbis tamquam titulo notari potuisse docemur. Quod non tam ad Iliadem, quae hoc titulo instructa erat, et alia carmina epica quam ad carmina lyrica, quae ab auctoribus inscribi non solebant, pertinet. Huiusmodi exempla, quae inveni, proferam. Ad Simonidis carmen Scopae missum notandum Plato Prot. 339 A sic dicit: λέγει γάρ που Σιμωνίδης πρὸς Σκόπαν τὸν Κρέοντος υἱὸν τοῦ Θετταλοῦ, ὅτι

ἄνδρ' ἀγαθὸν μὲν ἀλαθέως γενέσθαι χαλεπόν,
χερσίν τε καὶ ποσὶ καὶ νόῳ τετράγωνον, ἄνευ ψόγου τετυγμένον.

τοῦτο ἐπίστασαι τὸ ᾆσμα, ἢ πᾶν σοι διεξέλθω; Aliud exemplum in Aristotelis de Atheniensium republica libro V 2 legimus, quo loco initium elegiae cuiusdam Soloneae non sui causa adfertur, quod verba exscripta non ea sunt, quae ad rem spectent, sed ut tota Solonis elegia, quae ut ceterae eiusdem poetae titulo caruisse videtur (Heinemann, Stud. Solon. p. 35 sq.), his versibus tamquam titulo notetur (v. Wilamowitz-Moellendorff,

Arist. u. Ath. II 304,1). Eodem modo Xenophon Sirenum cantum, cuius primum versum laudat, ut ita dicam, inscribere videtur.

Haec ratio, quae fert, ut versus ipsi exscribantur, veteribus magis quam his temporibus videtur esse frequentata. Nam etiam libri antiquissimis temporibus oratione soluta scripti, qui titulo carebant, hoc modo laudari solebant, velut Aristoteles Rhet. III 9 p. 1409 a 27 ad totum librum notandum Herodoti historiae primum enuntiatum adfert (Lohan, p. 41). Quod praeter haec exempla alia apud veteres scriptores vix inveniuntur, minime mirum est. Nam raro libros ipsos notare scriptorum interfuit. Plerumque cum pauca ex eis sumpta laudarentur, non solum carminum inscriptorum tituli, praesertim Homeri, cuius versibus ab auctoribus exscriptis, utrum Iliadis an Odysseae essent, fere nusquam addebatur, sed etiam librorum oratione pedestri scriptorum tituli omittebantur.

Hac digressione confecta rem inchoatam persequamur. Plurimis locis adhuc commemoratis scriptores in versibus ipsis quam accuratissime haerent. Sed aliis multo licentius poetarum verbis paene in orationem pedestrem dissolutis versus exscribunt, quo modo fit, ut magis sermo simplex et unus fiat. Nam quia hac ratione usi scriptores nisi quae opus sunt, non exscribunt, versuum numerum prorsus perturbant.

Socrates in Platonis Apologia (34 D) versum τ 163 in suum transferens usum dicit: καὶ γὰρ τοῦτο αὐτὸ τὸ τοῦ Ὁμήρου, Οὐδ᾽ ἐγὼ ἀπὸ δρυὸς οὐδ᾽ ἀπὸ πέτρης πέφυκα, ἀλλ᾽ ἐξ ἀνθρώπων κτλ. Homeri verba sunt: οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτου οὐδ᾽ ἀπὸ πέτρης, quae Socrates mutata sic sua facit, ut epitheton ornans neglegat. Et referens et verbotenus adferens Antisthenes in Xenophontis Convivio (4, 6) dicit: Ἦ καὶ βασιλεύειν ἔφη ὁ Ἀντισθένης, ἐπίστασαι, ὅτι οἶσθα ἐπαινέσαντα αὐτὸν τὸν Ἀγαμέμνονα ὡς βασιλεύς τε εἴη ἀγαθὸς κρατερός τ᾽αἰχμητής; Hic versus, cuius verba quidem non mutantur, verbo autem εἴη interposito interrumpuntur, cum coniunctione ὡς coniungitur. Quo modo verba prope ad orationem solutam accedunt, quamquam illa ἀγαθὸς κρατερός τ᾽ αἰχμητής numerum dactylicum non dissimulant. Idem versus plenus a Socrate Mem. III 2, 2 laudatur (Γ 179). Deinde de eo disserens illos et κρατερόν

τ᾽ αἰχμητήν et βασιλέα τ᾽ ἀγαθόν rursus adfert, ut alterum cum altero componat. Neque vero verba Homerica ipsa dicit, sed quia βασιλέα opponit αἰχμητῇ, verba transmutans ἆρά γε ὅτι αἰχμητής τε κρατερὸς ἂν εἴη, et quia sermoni suo aptiora sunt, non βασιλεύς τ᾽ ἀγαθός, sed καὶ βασιλεὺς ἀγαθός dicit. Similia apud Platonem Theaet. 183 E invenimus: Παρμενίδης δέ μοι φαίνεται, τὸ τοῦ Ὁμήρου, αἰδοῖός τέ μοι εἶναι ἅμα δεινός τε, quo loco Plato Homeri utitur verbis αἰδοῖός τε μοί ἐσσι, φίλε ἑκυρε, δεινός τε (Γ 172), quae aliis interpositis ipsa dissolvit. Alia huiusmodi exempla leguntur Legg. IV 718 E, X 901 A, Phaedr. 227 B, 266 B, Symp. 178 B, Crat. 428 D, De rep. V 468 D, Lach. 191 A, 201 B. Accedunt παρῳδίαι, quas Hermogenes vocat. Versus hoc modo laudati a ceteris eo differunt, quod aliqua pars cum poetae verbis consentit, cetera scriptor de suo oratione soluta addit. Talia apud Herodotum inveniuntur primum, qui hunc versum Homericum (H 125) ἦ κε μέγ᾽ οἰμώξειε γέρων ἱππηλάτα Πηλεύς hoc modo VII 159 ἦ κε μέγ᾽ οἰμώξειε ὁ Πελοπίδης Ἀγαμέμνων κτλ. in suum deflectit (Sengeb. p. 144, Ludw. pp. 81, 89). Praeter Herodotum inter scriptores Graecos, de quibus quaerimus, nemo nisi Plato et Demosthenes hac laudandi versus ratione ingeniosa utitur. Demosthenis locum (XIX 245) Hermogenes laudat. Platonis locum hunc exscribo (Prot. 315 B): Τὸν δὲ μέτ᾽ εἰσενόησα, ἔφη Ὅμηρος, Ἱππίαν τὸν Ἠλεῖον, καθήμενον ἐν τῷ κατ᾽ ἀντικρὺ προστώῳ ἐν θρόνῳ, quo loco hic versus ab Homero de Hercule dictus (λ 601) τὸν δὲ μέτ᾽ εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην in Hippiam haud infacete transfertur.

Praeterea velim legas Symp. 174 D et 177 A atque cum K 224 et Nauckii frgm. 488 Eurip. conferas. Sed his in versibus, tractandis cum breves sint, non moramur, sed ad versus Antiopae a Callicle in Platonis Gorgia laudatos transeundum est. Qui quo modo versus in orationem pedestrem dissolvantur, optime docent, quapropter hoc in extremo loco ponimus. Gorg. 485 E legimus: καὶ γὰρ ἐμοὶ τοιαῦτ᾽ ἄττα ἐπέρχεται πρὸς σὲ λέγειν, οἷάπερ ἐκεῖνος πρὸς τὸν ἀδελφόν, ὅτι ἀμελεῖς, ὦ Σώκρατες, ὧν δεῖ σε ἐπιμελεῖσθαι, καὶ φύσιν ψυχῆς ὧδε γενναίαν μειρακιώδει τινὶ διαπρέπεις μορφώματι, καὶ οὔτ᾽ ἐν δίκης βουλαῖσι προσθεῖ᾽ ἂν ὀρθῶς λόγον, οὔτ᾽ εἰκὸς ἂν καὶ πιθανὸν λάκοις, οὔθ᾽ ὑπὲρ ἄλλου νεανικὸν βούλευμα βουλεύσαιο. Si

quis haec verba cum eis, quae Nauck (frgm. 185 Eur.) exscripsit, composuerit, haec immutata esse videbit.

Post ἀμελεῖς interposita sunt ὦ Σώκρατες, de quo Callicles haec verba dicit. Deinde verba poetae transmutat. Pro ψυχῆς φύσιν [γὰρ] ὧδε γενναίαν dicit φύσιν ψυχῆς ὧδε γενναίαν atque pro οὔτ' ἄλλων ὕπερ ponit οὐθ' ὑπὲρ ἄλλου. Maximum autem est, quod verba quaedam commutat. Pro ὧν [σε φροντίζειν ἐχρῆν] verba, quae numero carent, dicit: ὧν δεῖ σε ἐπιμελεῖσθαι. Deinde γυναικομίμῳ commutatur cum μειρακιώδει et cum verbis vocem μορφώματι sequentibus ea, quae cum eis, quae Euripides scripsit, dissentiunt. Tum Callicles, cum dicat καὶ φύσιν ψυχῆς ὧδε γενναίαν μειρακιώδει τινὶ διαπρέπεις μορφώματι, structuram verborum Euripideorum commutat. Haec enim illo γὰρ cum anteeuntibus coniuncta sic legenda esse videntur: ψυχῆς φύσιν [γὰρ] ὧδε γενναίαν [λαχὼν] γυναικομίμῳ διαπρέπεις μορφώματι. Idem planius est 486 C: καὶ ἄσκει ὁπόθεν δόξεις φρονεῖν. Nam Euripidis verba, ex quibus δόξεις φρονεῖν (frgm. 188) non pendent ex ἄειδε, sunt haec: τοιαῦτ' ἄειδε καὶ δόξεις φρονεῖν. Alia verba commutata videmus 486 BC: quae omnia enumerare longum est. Hoc tantum commemoro, εἴ τις pro ἥτις poni, quod Calliclis glossema quoddam esse merito quispiam dicet.

Quo consilio omnes hae res commutatae sint, Sauppe *(Platons Gorg. erkl. v. Sauppe, her. v. Gercke*, p. 93 sqq.) optime exponit. Nostra interest verba omissa addita transmutata ferre, ut versus orationi solutae tam similes fiant, ut versuum partes vix eligas.

Haec omnia iterum perlustrantes non omnes auctores, de quibus quaesivimus, eundem ad modum licentia, ne dicam neglegentia laudandi versus usos esse videmus. Nam Herodotus, quippe cuius oratio λέξις εἰρημένη sit, excepto loco laudato versus verbotenus structurae verborum non insertos adfert (II 116, IV 29 versus Homericos, multis locis deorum responsa). Verborum enim compositionem pleniorem et magis variam esse oportet, ut toti versus structurae verborum auctorum pedestrium inserantur. Itaque Thucydides unum versum Homericum, Xenophon complures, Plato plurimos suis verbis aptant. Neque vero Thucydides, ut est diligens, versum commutat. Sed Xenophon atque Plato saepius versus commutatos quam integros adferunt, quam rationem etiam Demosthenes consequitur. Ergo gradus et quasi processus rationis adferendi versus, qui gradus et processus generis scribendi aequant, intelleguntur. Quo enim magis oratio a scriptoribus excolitur, eo licentius versus adferuntur. Isocrates, cuius genus dicendi numerosius esset, quam ut versuum numero perturbari deberet, vel eo processit, ut numquam orationibus versus intexeret.

Quae cum ita sint, non dubium est, quin non solum Hermogenes de versibus in oratione soluta exscribendis recte iudicavisse, sed etiam Norden eo usus hoc praeceptum artis scribendi p. 89 optime intellexisse videatur: „Es ist dasselbe Prinzip der Einheitlichkeit, welches dem antiken Schriftsteller verbot, Verscitate ohne weiteres in seine Worte einzuflechten, überhaupt ohne besonderen Zweck zu viele und zu lange Stellen zu citieren." Scriptoribus igitur oratio arte vincta ipsa praescribebat, ut versus laudandos, qui ab oratione soluta alieni essent, quantum possent, verbis suis contexerent.

At quaestio existit, num scriptores Graeci ita, ut ex eis, quae exposuimus, colligendum est, artis scribendi praeceptum non scriptum observaverint. Cur tandem ab omnibus scriptoribus versus saepius verbotenus exscribuntur, cur multi versus, qui structurae verborum accommodantur, versus esse non desinunt? Quid? Quod ab oratoribus Atticis praesertim ab Aeschine et Lycurgo non toties pauci versus deinceps (Aesch. I 128, 129, 148, 151, II 144; Lyc. 92, 109), quoties plurimi continui (Aesch. I 144, 149, 150, 152 III 135; Lyc. 100, 103, 107) laudantur! Accedit, quod plurimi versus non ad verbum laudati ei sunt, quos Hermogenes παρῳδίας vocat. Versus hoc modo adhibendi, quod exscribi non possunt, nisi mutantur, mutandi sunt neque id sermonis, cui inserendi sunt, causa, sed ut parodia fiat. Huiusmodi igitur versibus sic intellectis numerus versuum in orationem pedestrem dissolutorum minor fit, quam per se ipse est. Quae cum ita sint, cur scriptores Graeci non semper id egerint, ut quoquo modo versus dis-

solverent, quaerendum est. Quam ad rem qua de causa versus laudentur atque quomodo ratio laudandi versus orta sit, pertinere videtur.

Cum enim Herodotus et Thucydides, scriptores historici, Homeri carminibus tamquam rerum gestarum fontibus utantur, non mirum est, quod in scriptis eorum non semel versus verbotenus exscribuntur. Scriptorum autem Socraticorum ratio laudandi versus una cum his scriptis orta est. Nam cum Socrates in colloquiis poetas respicere soleret, etiam in eis libris, quibus colloquia eius redduntur, aut eis, quae fecit, similia finguntur, plurimos versus eius more laudari consentaneum erat. Porro non esse dubium videtur, quin Socrates multos versus de memoria verbotenus laudaverit, qua de causa in dialogis versus item ad verbum laudantur. Eadem ratio tulisse videtur, ut alii quoque versus, qui non interpretandi causa aut ad rem ullam demonstrandam adferrentur, sed tamen scriptorum ingenium venditarent, verbotenus exscriberentur. Accedit, quod Plato in Convivio Agathonem, qui a sophistis est, quo melius describatur, saepius versus et integros et parum plenos laudantem facit (196 C, 196 E, 197 B C). Quod si sermone arte vincto ipso postulabatur, ut versus quam neglegentissime exscriberentur, facere non possumus, quin et scriptores historicos et scriptores Socraticos suo arbitrio praecepta artis scribendi neglexisse dicamus. Neque enim ut versus ipsos exscriberent, cogebantur. Sed ratione multo magis arbitraria quam hi nonnulli oratores usi sunt. In orationibus quidem deliberativis numquam poetarum versus laudatos esse Rehdantz *(Lykurgos' Rede gegen Leokrates p. 153 sq.)*, qui oratorum Atticorum rationem laudandi versus optime adumbravit, suo iure contendit. Sed eo saepius in eorum, quos supra commemoravimus, orationibus iudicialibus occurrunt. Neque simili modo atque in scriptis Socraticis, sed arbitrio oratorum quorundam loci laudati in his orationibus orti sunt: qua de causa nonnulli oratores ultra modum facile egredi potuerunt neque paucis versibus contenti fuerunt, sed plurimos deinceps laudaverunt. Lysias primus in oratione in Mnesimachum habita versus laudavisse videtur, tres dico Carcini versus trimetros, quos Lysia auctore Harpocratio sub voce Καρκῖνος tradit. Qua

cum re Lysiae sententia quaedam convenit, quam A. Gercke p. XLVIII sagacissime in Libanii Apologia Socratis cognovit. Rhetor ille clarissimus in Pindari versibus ab Anyto in Polycratis accusatione Socratis dissolutis, qua re poetam quasi iniuria quadam affectum esse putare videtur, offendit: ὁ σοφώτατος Ἄνυτος ἐτόλμησε μεταγράψαι τὸ τοῦ ποιητοῦ καθάπερ ἐν Σκύθαις διαλεγόμενος καὶ οὐκ εἰσομένοις ἀνθρώποις, τί μὲν Ἀνύτου τί δὲ Πινδάρου (§ 30). Quod Libanium, cum ipse hac in re offendisse non videatur, e fonte suo, quem Lysiae librum in Polycratis accusationem Socratis scriptum fuisse Hirzel *(Rhein. Mus.* XLII 239 sqq.) evicit, hausisse verisimile est. Inde Lysiam ipsum Polycratis rationem, quae eadem est, qua Plato nonnullis locis supra commemoratis usus est, non comprobavisse, sed versus verbotenus exscriptos maluisse cognoscimus. Non omnium ergo tum fuisse videtur, versus in orationem pedestrem dissolvere. Certe praeter Lysiam Aeschines quoque id neglexit, qui, ut Redantz, quem Blass (III 2 p. 119) sequitur, exposuit, plurimos versus, qui inter se cohaerent, in orationibus laudare coepit, qua in re modum paene transiit. Aeschinem, quamquam moderate Demosthenes (XVIII 267, XIX 243, 245, 247, 255) secutus est. Sed eo licentius Lycurgus in oratione in Leocratem habita versus laudat, ut summum in poetas superiores favorem praestet.

At versus in orationibus cum ceterorum oratorum Atticorum tum Lycurgi laudatos in eis orationibus, quae litteris mandatae in manus hominum pervenerint, scriptos, non in orationibus habitis dictos esse Norden, vir doctus summi iudicii, non male contendit. Quod quamvis placeat, tamen facere non possum, quin hac in re addubitem. Neque enim intellego, cur in orationibus scribendis id licuerit, quod in habendis orationibus non ferendum fuisse Norden ipse putat, quippe qui vetitum fuisse veteres scriptores nimis multos longosque locos temere et nullo consilio laudare ipse dicat. Neque vero cum ceteri oratores tum Lycurgus sine consilio versus, quos in eorum orationibus legimus, laudaverunt. Nam versus a Lycurgo in oratione Leocratea exscripti eo loco stant, e quo si removentur, vis orationis summo virtutis studio plenae tollitur. Congregantur enim in extremam partem, quae orationi habitae vim

tribuit atque versibus laudatis, qui amorem patriae ab oratore magni aestimatum docent, remotis prorsus marcet. Itaque facere non possum, quin omnes, quos legimus versus a Lycurgo in oratione habita laudatos esse iudicem. Neque aliud de versibus a Demosthene et Aeschine adlatis dicendum est. Nihil igitur oratoribus Atticis obstitisse videtur, quominus versus, interdum vel plurimos declamarent. Immo, quia orationes ad dicendum scribebant, ceteris scriptoribus minus, si quid est mei iudicii, versus verbotenus laudare non videntur veriti esse.

His omnibus e rebus hoc colligendum esse videtur,illud artis praeceptum laudandi versus, etsi fuerit, non tamen ab omnibus scriptoribus Graecis observatum esse, certe non ita ut idem praeceptum verba soluta laudandi, id quod postea concedetur. Iam hoc loco monendum est Xenophontem Mem. I 2, 56, ubi Polycratem laudat (de ratione, quae Xenophonti cum Polycrate intercedit, postea plura verba faciemus), de eius verbis oratione obliqua referre, sed versus Hesiodi atque Homeri ab eo laudatos ad verbum exscribere. Idem in Aristotelis libro de Atheniensium republica summa cum diligentia scripto observari potest, quo auctorum pedestrium verba .ipsa numquam exscribit, sed nonnullis locis versus et eos multos ad verbum laudat (V 2, 3, XII 1, 2, 3, 4, 5, XIX 3, XX 5). Simili ratione alii scriptores usi sunt. Neque mirum est, quod in versibus laudandis a consuetudine bene scribendi saepissime decesserunt. Nam multo facilius fuit versus quam auctorum pedestrium verba verbotenus exscribere, cum illi, ut erant numero vincti, melius his memoria teneri potuerint. Quin etiam Homeri et Pindari versus eadem de causa diversa ratione laudatos invenimus. Nam Homeri versus, qui non solum omnibus noti essent, sed etiam magis quam poetae lyrici illius celeberrimi versus hominum memoriae infigerentur, pro numero laudatorum versuum saepius verbotenus exscripti sunt quam Pindari verba difficilia ad intellegendum.

Quae omnia cum ita sint, veteres scriptores utrum versus ad verbum adferant an dissolvant dubitantes videmus. Hoc sermone secundum artis praecepta scribendo postulabatur. Ne illud omitterent, utrumque scriptores Graeci eo consequebantur, quod,

quantum fieri poterat, versus ipsos structurae verborum accommodabant. Quae suppleant sententiam Nordeni, qui artis praeceptum optime adumbravit, veterum consuetudinem ipsam, id quod non eius fuit, non satis videtur respexisse. Neque enim illa versus laudandi lex erat consuetudo scribendi.

Tantum habeo de veterum scriptorum Graecorum, qui libros sermone pedestri sed arte vincto conscripserunt, ratione versus laudandi. Iam transeundum est ad huius quaestionis partem alteram atque graviorem.

Pars II.

Priusquam quaerere incipiamus, quomodo scriptores Graeci, qui ante Aristotelem fuerunt, scriptores pedestres eorumque verba adferant, ut eorum consuetudinem perspiciamus, Thucydidis librum fere silentio praetermitti posse dicendum est. Nam Thucydides, quia ad bellum Peloponnesiacum describendum scriptis non usus est, nusquam scriptores laudat, nisi quod I 21,1 λογογράφους, quos τοὺς πρὸ ἐμοῦ ἅπαντας altero loco appellat, et I 97,2 Hellanicum, quem, quia res Atticas scripserat, unum dignum habet, qui nominetur, in iudicium vocat. Itaque hic non moramur, sed ad eorum, qui scriptores aut saepius aut uberius laudant, libros quaestionem deducimus. Quae ut a rebus facilibus intellectu ad difficiliores progrediatur, primo de eis locis, quibus quis adferatur apparet, disserendum est.

Ut supra hoc quoque loco Heracliti verba quaedam initium disserendi nobis faciunt. Neque enim modo poetae, qui aut ante eum aut maiores natu fuerunt,ei audiunt, sed etiam quid de rerum scriptore sentiat, qui tum floruit, fatetur. Quibus enim verbis Hesiodum Pythagoram Xenophanem de doctrina reprehendit (Diels 72,40; Byw. fr. 16), eisdem Hecataeum, quem suo more haud aliter nisi nomine prolato adfert, cavillatur. Itaque eum non dubitare aequalem suum, quem obiurget, nominare patet: addo non inconsulto, quia haec Heracliti ratio non carere videtur iusta causa, quam eorum, qui post Heraclitum fuerunt, scri-

ptorum ratione auctores adferendi cognita perspiciemus. Hos igitur, quorum quasi princeps Herodotus huc pertinet, age tractemus.

Quamquam et ante Herodotum et eius temporibus complures scriptores erant, quos laudare potuit, non solum philosophi, sed etiam logographi, tamen unum Hecataeum nominat. Eorum autem locorum, quibus eum commemorat, nobis duo respiciendi sunt, quia eum alibi ut scriptorem non adfert nisi his: II 143 et VI 137. Priore loco, quo cum dicit πρότερον δὲ Ἑκαταίῳ τῷ λογοποιῷ, Hecataeum scriptorem plane appellat, quid ille Thebis generis sui originem recensens audiverit et viderit, narrat, ut his cum rebus ea, quae ibi ipse vidit, comparet. Sed hic locus omnino non is videtur esse, quo Herodotus Hecataeum laudet, quia rationem in hac re usitatam, qua et auctor notatur et eius verba exscribuntur, non secutus est. Quod ne ipse quidem voluisse videtur. Cum enim auctoris laudati verba non exscribat, librum, e quo hausit, velut VI 137, non nominat. Immo, quia non tam sententiam quandam Hecataei quam ea, quae vidit et audivit, quasi in numero rerum gestarum sint, narrat, Herodotus hac ratione laudandi Hecataeum utitur.

Altero loco (VI 137), quo accuratissimam rationem laudandi adhibet, Herodotum Hecataei sententiam ipsam adferre primo aspectu cognoscitur. Nam Herodotus, cum, ut ipse dicit, diiudicare non possit, utrum iure an immerito Pelasgi ab Atheniensibus depulsi sint, primo Hecataei hac de re sententiam, cum mirum in modum ad publicum iudicium se derigat, deinde Atheniensium opinionem adfert. Ut est diligens, hoc loco librum, quo Hecataeus sententiam suam litteris mandavit, cum τοὺς λόγους dicit, notare non omittit. Inde librum Hecataei titulo caruisse colligere licet. Neque enim Herodotum libri titulum, si scisset, silentio praetermissurum fuisse verisimile est. Nam aliis locis Iliadem Odysseam Cypria Epigonos Phrynichi fabulam (Μιλήτου ἅλωσιν) accurate significat (II 116, IV 29, II 117, IV 32, VI 21). Itaque contentus est Hecataei librum verbo λόγοι usus, quo libri ratio significetur, in universum notare.

Haec de duobus locis, quibus Herodotus Hecataeum nominatim

laudat, dicta in praesentia sufficiant, quod quaestione progressa eos melius intellegendi facultas nobis dabitur.

Ab Herodoto ad Platonem venire properamus. Cuius e scriptis veterum scriptorum Graecorum consuetudinem auctores eorumque verba adferendi optime discimus, qua de causa huic quaestioni gravissima sunt.

Omnes fere scriptores, quos Plato nominatim adfert, sunt philosophi, qui ante Socratem fuerunt. Atque de numero physicorum Jonicorum plerosque commemorat (Zeller, *Arch. f. G. d. Philos.* V 165 sqq.). Quos omnes non solum passim in ceteris sed etiam de eorum praeceptis in dialogis, qui inscribuntur Sophistes, Theaetetus, aliis pluribus verbis disputans laudat. Porro cum de numero aequalium neminem nisi Lysiam atque Isocratem nominibus additis adferat, quorum alterius in Phaedro orationem quandam exscribit, alterum summa laude afficit, qua de re postea plura verba facienda sunt, omnes fere scriptores a Platone nominatim laudatos aetate maiores esse observari potest.

Tantum abest, ut omnes locos huc pertinentes exscribam, ut de paucis, quibus qua ratione Plato auctores eorumque verba adferat optime discamus, disseramus.

Quam varie una eademque Heracliti, cuius Plato non semel mentionem facit, sententia adferatur, cognoscere licet Crat. 401 D: ὅσοι δ' αὖ ὠσίαν, σχεδόν τι αὖ οὗτοι καθ' Ἡράκλειτον ἂν ἡγοῖντο τὰ ὄντα ἰέναι τε πάντα καὶ μένειν οὐδέν et 402 A: λέγει που Ἡράκλειτος, ὅτι πάντα χωρεῖ καὶ οὐδὲν μένει, καὶ ποταμοῦ ῥοῇ ἀπεικάζων τὰ ὄντα λέγει, ὡς δὶς ἐς τὸν αὐτὸν ποταμὸν οὐκ ἂν ἐμβαίης. Hoc enim loco philosophi illius obscuri dicta plenius atque accuratius quam illo exscripta esse videntur, quod Socrati in animo esse verba Heracliti accuratius proferre vel ex eo, quod priusquam verba ipsa adferat, λέγει που Ἡράκλειτος dicit, colligi potest. Neque enim verba sed sententias καθ' Ἡράκλειτον altero loco legimus. Atque illa πάντα χωρεῖ καὶ οὐδὲν μένει sola auctoris ipsius esse, id quod illo ὅτι post λέγει posito significari videtur, fortasse merito coniecerit quispiam. Sed eodem ὅτι efficitur, ut Heracliti verba sermoni Platonis innectantur neque iam ad verbum adferantur.

Ceterum dubium est, num Heraclitus πάντα χωρεῖ καὶ οὐδὲν μένει ipse scripserit, immo Plato his verbis usus illud simpliciter dictum πάντα ῥεῖ dilatasse atque explicavisse videtur, nam Simplicius in Arist. Phys. f. 308 b haec tradit: τοὺς περὶ Ἡράκλειτον εἰς τὴν ἐνδελεχῆ . . . εἰκός ἐστιλέγειν ὅτι ἀεὶ πάντα ῥεῖ, καὶ ὅτι εἰς τὸν αὐτὸν ποταμὸν δὶς οὐκ ἂν ἐμβαίης (Byw. fr. 41 adn.). Porro conferamus verba Heracliti a Platone laudata cum eis, quae in Pseudoplutarchi Naturalibus Quaestionibus (2 p. 912, Byw. 41 adn.) legimus, ut quomodo inter se dissentiant, statuamus: τὰ γὰρ πηγαῖα καὶ ποτάμια νάματα πρόσφατα μέν ἐστι καὶ νεογενῆ· ποταμοῖσι γὰρ δὶς τοῖς αὐτοῖς οὐκ ἂν ἐμβαίης, ὥς φησι Ἡράκλειτος. Quibuscum verbis, quae Heracliti fere ipsius esse videntur (cf. Byw. fr. 42, Diels 68, 12), ea, quae apud Platonem exstant, non consentiunt nisi pauca illa extremo loco posita. Nam pro numero plurali more poetarum adhibito Plato numero singulari sermoni scriptorum pedestrium accommodatiore utitur atque dialectum Jonicam, quam Nat. Quaest. auctor, si non aliis in verbis, at certe in ποταμοῖσι exscriptis servat, omnino neglegit.

Accuratissime illud Protagorae Theaet. 152 A oratione obliqua exscribitur: φησὶ γάρ που πάντων χρημάτων μέτρον ἄνθρωπον εἶναι, τῶν μὲν ὄντων, ὡς ἔστι, τῶν δὲ μὴ ὄντων, ὡς οὐκ ἔστιν. ἀνέγνωκας γάρ που; Eadem verba a Sexto Empirico (adv. math. VII 60) et Diogene Laertio IX 51 (cf. Diels p. 518) oratione recta traduntur, quibuscum Theaeteti verba comparata Platonem Protagorae quasi vestigiis insistere atque cum eo in altera parte sententiae exscripta, ad quam oratio obliqua non pertinet, plane consentire docent. Sed hic locus idoneus est, ex quo aliud discamus. Socrates enim, tamquam quo scriptorum Protagorae loco verba laudata inveniantur ignorans, φησὶ γάρ που dicit, quamquam eum Protagorae librum, quo verba illa notissima scripta erant, haud ignorare verba ἀνέγνωκας γάρ που; significant. Quin etiam verba e libro quodam notissimo atque a multis lectitato hausta esse eo, quod Theaetetus Socrati ἀνέγνωκα καὶ πολλάκις respondet, planius fit. Itaque huius libri titulum addere Platoni supervacaneum atque inutile videtur. Aliis autem locis Plato eiusdem

libri notandi rationem ab hoc loco diversam amplectitur. Protagorae enim liber Ἀλήθεια inscriptus erat (Zeller *Ph. d. Gr.* I 2^5, 1093, 1). Nam ea, quae in Theaeteti dialogi priore parte (161 C — 165 E) contra Protagorae praecepta dicuntur, ex Antisthenis libro, quo Protagorae veritatem refutavisse videretur, sumpta esse, Dümmler (Antisthenic. p. 60 sq.) pro certo proposuit. Cum autem Antisthenis liber, ad quem potissimum Plato Theaet. 161 C spectare videtur, praesertim cum Socratem Antisthenis verbis usum illud Protagorae hoc loco ludibrio habere Gercke (*Neue Jahrb. f. d. kl. Altert.* 1 586) probaverit, Ἀλήθεια inscriptus esset, Protagorae quoque librum, quem ne ipsum quidem Plato Theaet. 161 C neglegit, hoc titulo instructum fuisse verisimile est. Horum utriusque libri titulus Platoni ad eum elegantius significandum facultatem summam dat. Nam quotiescumque eum commemorat, eis verbis utitur, ut et liber Protagorae et veritas intelligi possit: Theaet. 170 E, 161 E, Crat. 386 C.

Haec ratio et his locis et Theaet. 152 A adhibita, quae toti Platonis generi scribendi accommodatissima est, non abhorret ab eis, quas Plato et Calliclem, ut supra explicavimus, et eos sequentes facit, qui cum verba quaedam adferant, quo loco inveniantur non satis sciunt. Qua de re πού vel ἄλλοθι addunt, velut, ut locos nonnullos adferam, Theaet. 152 A, 177 A, Crat. 402 A, Legg. III 680 B, 681 E, Prot. 339 A, Phaed. 112 A. Ita is, qui verba laudat, ubi exstent, et scire neque notare videtur. Haec neque diligentia neque indiligentia scribendi, sed ratio quaedam inter eas media est. Omnia autem haec idem probant accuratissimam librorum verborum locorum descriptionem, quoad fieri possit, evitari.

Quibus rebus cognitis ad Protagorae verba a Platone laudata, unde profecti sumus, revertamur. Praeter locum enim supra exscriptum (Theaet. 152 A) alii idem sophistae illius celeberrimi dictum ponunt. His tamen nihil adfertur nisi partes quaedam sententiae, quae Platonis cum verbis arte contexuntur. Priorem enim partem oratione obliqua prolatam Crat. 385 E invenimus: — — ὥσπερ Πρωταγόρας ἔλεγεν, λέγων πάντων χρημάτων μέτρον εἶναι ἄνθρωπον, ὡς ἄρα οἷα μέν κτλ., pars altera nobis Theaet.

160 C occurrit: καὶ ἐγὼ κριτὴς κατὰ τὸν Πρωταγόραν τῶν τε ὄντων ἐμοί, ὡς ἔστι, καὶ τῶν μὴ ὄντων, ὡς οὐκ ἔστιν. Atque ut hic ita etiam 170 D verba structurae verborum Platonicorum accommodata legimus.

Auctoris laudati verba quam accuratissime tenens Plato etiam illud Anaxagorae Phaed. 72 C laudat: κἂν εἰ ξυγκρίνοιτο μὲν πάντα, διακρίνοιτο δὲ μή, ταχὺ ἂν τὸ τοῦ Ἀναξαγόρου γεγονὸς εἴη, ὁμοῦ πάντα χρήματα. Ac ne hic quidem Plato auctoris verba verbotenus exscribere vult, nam ὁμοῦ πάντα χρήματα, etsi oratione recta exscripta sunt, tamen, siquidem Simplicio (phys. 155,23 cf. Diels, p. 326) fidem habere licet, tantummodo pars verborum Anaxagorae sunt.

Haec exempla verborum Heracliti Protagorae Anaxagorae a Platone laudatorum, quam varie verba soluta adtulerit docent. Aut enim verba, quae scripta sunt ipsa, quamquam parum plena exscribit aut oratione obliqua quam accuratissime auctorem secutus reddit aut verba quaedam omittit aut commutat. Praeterea ea enuntiata a Platone laudata, quae propius ad verba auctorum ipsa accedunt, brevissime atque praeclarissime dicta esse videmus. Ac ne ea quidem ubique plena referuntur. Qua de re saepius satis fuit, talia non tam exscribere quam significare, velut Theaet. 162 C legimus: ἢ ἧττόν τι οἴει τὸ Πρωταγόρειον μέτρον εἰς θεοὺς ἢ εἰς ἀνθρώπους λέγεσθαι; Simili modo Gorg. 465 D initium libri Anaxagorae supra commemoratum significatur. Nec multo aliter Plato De rep. VI 498 A illud Heracliti νέος ἐφ᾽ ἡμέρῃ ἥλιος (Byw. f. 32, Diels, p. 67, 6) disertis verbis exscribere supersedet: πρὸς δὲ τὸ γῆρας ἐκτὸς δή τινων ὀλίγων, ἀποσβέννυνται πολλὺ μᾶλλον τοῦ Ἡρακλειτείου ἡλίου, ὅσον αὖθις οὐκ ἐξάπτονται.

Haec adferendi verba consuetudo, qua elegantior atque ad orationem urbanam aptior vix inveniri potest, fert, ut Plato sententias auctorum laudatorum saepe longe aliis verbis atque eis, quae ipsi scripserunt, usus profert, id quod non solum e nonnullis locis adhuc tractatis, sed etiam e Crat. 412 D cognosci potest, ubi legimus ὅσοι γὰρ ἡγοῦνται τὸ πᾶν εἶναι ἐν πορείᾳ, quae verba ipse Heraclitus, ad quem Platonem spectare nemo non videt, non videtur dixisse. Plato igitur id agit, ut auctorum et sententias

et verba, quantum potest, sua faciat, nimirum indole atque consilio dialogorum, ut accuratius verba quaedam adferat commotus. Quo enim modo sermo verborum laudatorum formam nonnumquam moderetur, cognoscere licet Crat. 402 A, ubi, postquam Socrates Heraclitum sapientiam vetustam proferre sibi videri dixit, Hermogenes, qui eum parum intellegit, eum quid sibi vellet percontatus commovet, ut quid sentiat disertius exponat. Deinde Socrates iam non iudicium de Heracliti doctrina profert, sed eam ipsam eo accuratius adfert, quod Hermogeni nihil aliud respondet. Simile quid Theaet. 178 B observari potest, quo loco Socrates Protagoram ipsum, qui praesens fingitur, sic adfatur: πάντων μέτρον ἄνθρωπός ἐστιν, ὡς φατέ, ὦ Πρωταγόρα, λευκῶν κτλ., itaque verba oratione recta laudantur, qua Plato rarissime utitur.

Atque haec quidem hactenus. Iam transeamus ad I s o c r a t e m. Qui quamquam orator est, tamen pro ratione, quae ei ipsi eiusque libris cum aequalibus intercedit, scriptores Graecos respicit. Sed paucis locis auctores nominatim adfert. X 2, 3 Protagora nominato Gorgiae Zenonis Melissi item nominatorum de rebus eis, quae sunt, sententias laudat. Simili modo XV 268, quid veteres sophistae, quo e numero Empedoclem Ionem Alcmaeonem Parmenidem Melissum Gorgiam nominat, de numero rerum sentiant adfert. His e locis (quibus XV 155 sq., quo loco Isocrates de Gorgiae vita narrat et XV 235, ubi Anaxagoram ut Periclis magistrum commemorat, addendi sunt) sequitur, ut ei quoque scriptores, quos Isocrates nominatim laudat, superioris aetatis sint. Nam etiam Gorgias tum mortuus erat, cum Isocrates Helenam scripsit, quam orationem contra Anaximenem circa annum 366, quo tempore Gorgiam iam dudum mortuum fuisse inter omnes constat (Blass I 47 sq.) compositam esse Zycha *(Bemerk. zu den Anspiel. u. Bezieh. in d. XIII. u. XIV. Rede des Isocrates, 16. Jahresber. d. Leopoldstädt. Gymn., Wien 1880)* et Keil (Anal. Isocrat. Lips. 1885, p. 8) contra Blassium (II 242 sq.) probaverunt.

Isocratem in orationibus conscribendis non solum singulis sententiis, quas antea scripsit, sed etiam maioribus orationum priorum partibus usum esse constat, velut XV 59, 66, 73, 194 partes ex orationibus IV, VIII, II, XIII haustas repetivit. Neque

minus ad auctores XV 268 laudatos Helenae loco illo supra commemorato (§ 2) usus esse videtur. Neque enim modo Gorgiae atque Melissi eadem praecepta laudat, sed etiam iudicium de auctoribus laudatis XV 268 factum simile est ei, quod X 3 auctoribus nominatis invenitur. Isocrates, etsi loco posteriore maiorem numerum auctorum quam priore adfert, tamen utroque res notissimas laudat atque ea, quae philosophi laudati de eis rebus, quae sunt, senserint. Itaque loci, quibus Isocrates philosophos superiores laudat, ei sunt, e quibus eum philosophandi scientia leviter imbutum esse conicere liceat.

Neque multo saepius quam Isocrates, quem ut oratorem auctores priorum temporum studiosius respicere vix exspectandum est, Xenophon auctores laudat. Hic non solum scriptor Socraticus est sed etiam de rebus gestis et artibus, quae ad usum cotidianum pertinent, libros composuit. Discrepantibus ergo his scribendi generibus sua cuique ratio auctores laudandi cum sit, singulas consideraturi sumus.

In libris Socraticis aeque atque apud Isocratem duobus tantum locis auctores nominatim laudantur. Altero argumentum libri Prodici de Hercule scripti dicitur (Mem. II 1, 21), altero duae Anaxagorae sententiae adlatae a Socrate, qui in Platonis quoque scriptis plerumque auctores in iudicium vocat, refelluntur (Mem. IV 7, 6). Quae hic Socrates contra Anaxagoram dicit, ea iam a Diogene Apolloniata et ab Antisthene ei opposita sunt (Dümmler, *Akademika*, p. 155, 1). Quae si Xenophon e libro quodam Antisthenis (cuius in iudicio eum in Memorabilibus et Convivio conscriptis multis in rebus stare inter omnes constat[1]) hausit, id quod verisimile est, etiam verba Anaxagorae ipsa laudata indidem sumpsisse neque auctorem ipsum videtur adiisse. Aeque atque hoc loco Xenophon, cum Mem. I 4 eiusdem Anaxagorae censuram agit, eundem auctorem Antisthenem sequitur (Dümml. *Ak.* c. IV). Anaxagoram ipsum quidem Xenophon nec alibi nominat nec

1) Winckelmann, Antisthenis Fragmenta, Turici 1842, p. 21, 23, 30 sqq. 48 sqq. — Dümmler, Antisthen. pp. 29 sq. 35 sq. — Joel, Der echte und der xenophontische Sokrates 1893.

ubi eius dictum, quod Aristoteles part. anim. IV 10 p. 687a 7 (Ἀναξαγόρας μὲν οὖν φησὶ διὰ τὸ χεῖρας ἔχειν φρονιμώτατον εἶναι τῶν ζῴων ἄνθρωπον) nobis tradit, hoc modo 4, 11 commemorat: ἔπειτα τοῖς μὲν ἄλλοις ἑρπετοῖς πόδας ἔδωκαν, οἳ τὸ πορεύεσθαι μόνον παρέχουσιν, ἀνθρώπῳ δὲ καὶ χεῖρας προσέθεσαν, αἳ τὰ πλεῖστα, οἷς εὐδαιμονέστεροι ἐκείνων ἐσμέν, ἐξεργάζονται. Sed ut hoc loco ita aliis sententiae a Socrate prolatae Anaxagorae sententias, quae ipsae non exscribuntur, attingunt. Sequitur idem, quod e verbis illius philosophi a Xenophonte illo loco laudatis nobis colligendum erat. Ceterorum enim scriptorum loci laudati ex auctorum ipsorum libris, nisi fallor, hausti sunt, Xenophon philosophorum praecepta nisi ex aliorum scriptis cognovisse non videtur. Qua re Xenophontem philosophandi scientiam primis labris gustavisse certiores fimus et qui factum sit, ut auctores non tam laudaret quam significaret. Hac re absoluta, qua quid sit, quod apud Xenophontem non tam multos scriptores laudatos inveniamus quam adferendi facultas ei data sit, intellegitur, ad ceterorum scriptorum Xenophonteorum locos laudatos transimus.

In scriptis historicis unus auctor pedestris nomine apposito simulque celato adfertur. Cum enim Hell. III 1,2 Themistogenes Syracusanus dicatur, alius auctor laudari videtur. Sed cum plurimis viris doctis, qui Xenophontem hic nomine Themistogenis Syracusani expeditionem Cyri ab ipso conscriptam adferre putant, consentio[1]). Xenophon igitur auctore nominato titulo libri non commemorato breviter summam libri complectitur, ne ea, quae illo libro relata sint, iterum narret. Hic locus in veterum scriptorum Graecorum libris unicus est. Neque minus mirum locum initio libri, qui περὶ ἱππικῆς inscribitur, legimus. Ibi Xenophon, cum Simonem, qui ipse quoque de rebus equestribus scripserit, laudat, se, quibus rebus cum eo consentiat, eas in libro suo conscribendo non omissurum, immo ea quoque, quae omiserit, expositurum esse dicit. Quo modo similiter atque horum

1) Plut. Glor. Athen. I 345 E. — Tzetz. Schol. ad. Bibl. Paris c. 2565 ep. 21; Chiliad. VII 939. — Krüger, De Xenoph. vita, p. 14, de authent. et integr. Anab. p. 19. — Ranke, De Xenoph. vita et scriptis, p. 5. — Roquette, De Xenoph. vita, p. 64.

temporum scriptores solent, libro addit prooemium, quo ea, quae de rebus, quas ipse tracturus est, scripta sunt, adfert, qua ratione conscribendi libros scriptores Graeci non assueverant.

Omnibus fere locis adhuc propositis, si iterum perlustraverimus, unam rem auctoribus laudatis communem esse videbimus. Quot enim auctores nominatim adferuntur, tot (exceptis Lysia Isocrate Themistogene pro Xenophonte substituto) tum, cum laudabantur mortui erant. Quod non in casu positum, sed consuetudinis cuiusdam litterariae esse eis rebus, quas nunc expondituri sumus, cognitis statuemus.

Ad cognoscendam quam adhuc spectavimus rationem subtili quaestione non opus erat. Sed ut ceteras quae huc pertinent res perspiciamus, facere non possumus, quin virorum doctissimorum, qui de scriptorum Graecorum fontibus et quae aliis cum aliis auctoribus intercederent rationes quaesiverunt, auxilio utamur. Praeter illos enim locos, quibus quis adferatur non dubium est, plurimi in veterum scriptorum Graecorum libris inveniuntur, quibus sententiarum aut verborum laudatorum auctores ipsi non nominentur. Quos ad cognoscendos, age, nunc singulorum scriptorum libros excutiamus.

Herodotus e logographorum numero eundem Hecataeum, quem ab eo duobus locis nominari supra dictum est, unum nonnusquam tecte adfert. Scriptorem enim Halicarnassensem Hellanici aequalis libros ignoravisse Dahlmann probavit (*Forschungen auf d. Geb. d. Geschichte* II 1,128). Ac ne ceteros quidem logographos ab eo consultos esse Heil dissertatione, quam inscripsit *Logographis qui dicuntur num Herodotus usus esse videatur (Marpurgi Catt. 1884)* confecta demonstravit. Atque si Herodotus nihilo minus logographis quibusdam usus est, hoc pro certo proponi potest, eum neque nominatim neque tacite eos adtulisse. Trautwein (*Herm.* XXV 527 sqq.), ut Herodotum Dicaei cuiusdam nescio quae commentaria VIII 65, VII 3 laudavisse, aliis locis libro non significato exscripsisse probaret, operam perdidit. Restat igitur huic quaestioni unus Hecataeus, praeter quem Herodotus tres philosophos respexit. Quos omnes quomodo adtulerit iam inquiramus.

Irridet IV 36 eos, qui orbis terrarum descriptiones confecerint quo loco illos γράψαντας πολλοὺς ἤδη καὶ οὐδένα νοονεχόντως ἐξηγησάμενον Anaximandrum et Hecataeum, quos de regionum descriptione optime meritos non sine acerbitate tractat, intellegit (FHG I fr. 1 Hec.). Quo loco contra Jonas, qui nihil aliud nisi Delta Aegyptum esse arbitrentur, pugnat (II 15), eo ipso quoque de Hecataeo cogitat (FHG I fr. 295, Gutschmid, *Philol.* X 640). Neque enim Herodotus eam Aegypti partem, quam Nilus aggessit, sed totam, quam nos vocamus, Aegyptum appellat. Cui rei eum vim tribuere inde apparet, quod, priusquam plura verba de hac re faciat, se aliter atque Hecataeum sentire significat, cum II 5 ὅτι Αἴγυπτος, ἐς τὴν Ἕλληνες ναυτίλλονται dicat, quo loco facere non potest, quin illud Hecataei de Aegypto ut Nili dono praeclare dictum laudet: δῆλα γὰρ δὴ καὶ μὴ προακούσαντι ἰδόντι δέ, ὅστις γε σύνεσιν ἔχει, ὅτι Αἴγυπτος, ἐς τὴν Ἕλληνες ναυτίλλονται, ἐστὶ Αἰγυπτίοισι ἐπίκτητός τε γῆ καὶ δῶρον τοῦ ποταμοῦ. Etsi Herodotus auctorem hic laudatum neque illo πολλοί neque illo Ἴωνες notat, hunc locum tamen in hanc quaestionem cadere Diels sagacissime probavit. Qui postquam Herodotum δῆλα γὰρ δὴ καὶ μὴ προακούσαντι professum non alium librum sed Hecataei Periodum significare optime exposuit, hoc statuit: „Wir haben hier kein Plagiat sondern ein Citat“ *(Herm.* XXII 423). Nimirum (τῷ) προακούσαντι auctoris Ἑκαταίου nomen subaudiri voluit Herodotus. Atque hoc consilium sane a ceterorum scriptorum consuetudine auctores laudandi valde absorrens quodammodo cum ea ratione, qua Platononnumquam utitur, comparari potest. Nam eos, qui in dialogisdisputant, interdum laudantes facit auctores, tamquam si, quae illi scripserint, auditu comperta habeant, exempli gratia Phileb. 58 A: Ἤκουον μὲν ἔγωγε, ὦ Σώκρατες, ἑκάστοτε Γοργίου πολλάκις, ὡς ἡ τοῦ πείθειν πολὺ διαφέροι πασῶν τεχνῶν· πάντα γάρ κτλ. Neque mirum est, quod Herodotus, praesertim cum duos in animo habeat, IV 36 πολλούς adfert, nam simili modo a ceteris quoque scriptoribus auctores laudatos saepius notari videbimus. Sed pro uno auctore populares eius nominare solius Herodoti est. Qua ratione usus et eum, qui sententiam reiciendam litteris consignaverit et omnes eos, qui inde receptam suam fecerint, notare videtur (Gutschmid, p. 641).

Licet varie his modis auctores ab Herodoto adferantur, tamen unusquisque, quoad fieri potest, tacetur. Quod Herodotus de industria propterea, quod omnibus locis sententiae prolatae reiciuntur, petiisse videtur. Nam illo primo loco, quem tractavimus, eum auctores laudatos deridentem videmus. Quid? Quod aliis in rebus in libro altero tractatis contra auctores suos vehementissime pugnat! Herodotus enim, postquam II 19 dixit se frustra operam dedisse, ut quid causae esset, cur Nilus augeretur, ex sacerdotibus Aegyptiis comperiret, capitibus 20 sqq. tres sententias, quas, ut eius verbis utar, Ἑλλήνων μέν τινες ἐπίσημοι βουλόμενοι γενέσθαι σοφίην hac de re tulerint, adfert. Quae subest contemptio his verbis, ea magis amplificatur, ubi sententias singulatim adferre incipit: τουτέων τὰς μὲν δύο τῶν ὁδῶν οὐδ᾽ ἀξιῶ μνησθῆναι εἰ μὴ ὅσον σημῆναι βουλόμενος μοῦνον· κτλ. (c. 20) et ἡ δ᾽ ἑτέρη ἀνεπιστημονεστέρη μέν ἐστι τῆς λελεγμένης, λόγῳ δὲ εἰπεῖν θωυμασιωτέρη· ἣ λέγει κτλ. (c. 21) et ἡ δὲ τρίτη τῶν ὁδῶν πολλὸν ἐπιεικεστάτη ἐοῦσα μάλιστα ἔψευσται. λέγει γὰρ δὴ οὐδ᾽ αὕτη οὐδέν, φαμένη τὸν Νεῖλον κτλ. (c. 22). Hic Herodotus ordine Thaletem Hecataeum Anaximandrum summa cum ira redarguit, id quod apud Wiedemannum (*Herodots zweites Buch, Leipzig 1890,* p. 102 sqq.) probatum inveniri licet. Cum horum auctorum sententiae in tantam Herodoti vituperationem venirent, fieri non potuit, ut auctores ipsi nominarentur. Herodotum ergo, cum auctores reprehendendi causa adferret, vereri coepisse eos nominare consentaneum erat.

His locis Herodotum auctores adferre quosque adferat certa ratione dici potest. Aliis quoque Hecataeus respici videtur (Heil p. 17): I 201, ubi postquam de Massagetis dictum est, εἰσὶ δὲ οἵτινες καὶ Σκυθικὸν λέγουσι τοῦτο τὸ ἔθνος εἶναι additur. Ac ne haec quidem verba dissensione quadam carent, licet non tam dicatur quam significetur. Si enim Herodotus de Massagetis idem atque Hecataeus putaret, illa verba vix adderet. Sed planius auctorem suum IV 8, II 134, I 146 refellere videtur, quibus locis similiter atque alibi Ἕλληνας et Ἴωνας elocutus eum intellegit. Quae cum ita sint, Herodoti eam esse statuimus consuetudinem, ut scriptores non nominatim adferat, cum auctores laudare non soleat, nisi quos corrigat aut refellat. Scilicet Herodotum, quocumque loco

ei id in animo sit, eo auctores adferre non contendo. Aliquot enim locis Hecataeus tacite corrigitur, IV 20; 45.

Quibus rebus cognitis de duobus illis locis supra tractatis, quibus Hecataeus nominatur, recte iudicare possumus. Nam Herodotus a sua auctorum adferendorum consuetudine, quam modo perspeximus, decedit. Neque difficile erit, si locos rursus consideraverimus, huius rei causam repetere. Priore enim loco (II 143) facere non potuit, quin Hecataeum nominaret, cum ea, quae illi ipsi acciderant, narraret. Etiam Diels (*Herm.* XXII 434, 1) e necessitudine, quae Hecataeo ipsi cum eis, quae Herodotus e libro eius hausit, intercedat, laudandi rationem hic adhibitam intellegi monet. De altero loco nihil dicit, tamen hoc quoque, quae constituimus, confirmantur. Neque enim dubium est, quin Herodotus (VI 137) Hecataei sententiam quam cum a verbis ἐπείτε γὰρ ἰδεῖν initium faciat, oratione obliqua refert, ex ipso desumpserit libro. Sed cum paulo ante adferat illud Hecataei ἀδίκως, eis, quae hac de re ferantur, ut supra dictum est, fidem habet: τοῦτο γὰρ οὐκ ἔχω φράσαι, πλὴν τὰ λεγόμενα, ὅτι Ἑκαταῖος μὲν ὁ Ἡγησάνδρου ἔφησε ἐν τοῖσι λόγοισι λέγων ἀδίκως. Inde colligendum est Herodotum, quamquam utrum merito an immerito Pelasgi patria expulsi sint se dicere posse negat, tamen non tam Hecataeo quam Atheniensibus assentiri. Itaque in eius verbis vituperatio exigua in occulto latet, quam ne Hecataeus apertam capiat, ea praetendit, quae dicant Athenienses, qui e sua parte Hecataeum quin correxerint atque reprehenderint dubitari non potest. Herodotum igitur hoc quoque loco videmus praeter consuetudinem suam auctorem, qui eius tamquam adversarius est, nominavisse tantummodo videri.

Praeterea Diels (*Herm.* XXII 433 sqq.) aliam Hecataei adferendi rationem, quae nobis Herodotum interpretantibus non neglegenda est, exposuit. Nam Herodotus, quamquam II 156, cum de Chembi insula natante narret, Hecataei verba quaedam adfert (FHG I fr. 284), tamen eum ipsum non laudat, sed λέγεται δὲ ὑπ᾽ Αἰγυπτίων εἶναι αὕτη ἡ νῆσος πλωτή scribit. Neque tamen haec ratio auctorem ipsum tacendi idem atque ea, quam modo per-

speximus, valet. Nam Herodotum pro sua consuetudine, quam aliis quoque locis velut II 73, IV 191 tenet, diligentiae causa auctorem Hecataei, λόγον, non λογοποιόν adferre Diels optime dicit. Horum locorum ratio simillima est Xenophontis, qui Conv. 8, 32 pro Platone Pausaniam, quem ille in Convivio dicentem fecit, laudat[1]). Scilicet quos scriptor Socraticus disserentes inducit, eidem sunt atque fontes, quos rerum gestarum scriptor tamquam dicentes facit. Tamen aliquid inter scriptorem priorem et posteriorem interesse videtur. Xenophon enim, cum καίτοι Παυσανίας γε ὁ Ἀγάθωνος τοῦ ποιητοῦ ἐραστὴς ἀπολογούμενος ὑπὲρ τῶν ἀκρασίᾳ ἐγκαλινδουμένων εἴρηκεν ὡς καὶ στράτευμα ἀλκιμώτατον ἂν γένοιτο ἐκ παιδικῶν τε καὶ ἐραστῶν κτλ. scriberet, de Platone quoque cogitavit neque se non tam Pausaniam quam Platonem refellere ignoravit. Accedit, quod aequales, quos aggreditur, Xenophon, ut postea videbimus, non nominat. Itaque hoc loco alterius scriptoris auctorem adferre videtur, ut eum ipsum taceat. Neque vero Herodoto Hecataei auctorem exoptatum visum esse atque idoneum, sub quo Hecataeum ipsum abderet, putare licet. Nam auctores Hecataei Herodotus nonnumquam eis quoque locis, quibus eis assentitur, velut IV 191, adfert.

Hac adferendi auctores ratione Herodotus inter scriptores Graecos primus usus esse videtur. Etsi, quod sciam, apud neminem illorum scriptorum, de quibus nobis quaerendum est, nisi apud Herodotum atque Xenophontem invenitur, tamen scribendi morem fuisse non solum ex libris Aristotelis, qui saepius velut Rhet. I 9 p. 1367 b 7 Socratem pro Platone substitutum laudat, sed etiam eo apparet, quod saepius in versibus praesertim in Homeri laudandis, velut apud Platonem De rep. III 389 E, hic modus adhibetur. Sed quomodo pro indole scriptorum Xenophontis atque Platonis

1) Platonis Convivio confecto Xenophontis scriptum esse docuerunt viri doctissimi C. Fr. Hermann Proem. catal. lectt. Univ. Marp. hib. an. 1834/35. — Prooem. c. l. U. M. aest. a. 1841. — Prooem. cat. lectt. Univ. Gotting. an. 1842. — Philol. VIII 329 sqq. Schanz Herm. XXI 439 sqq. Gräf, Ist Platons oder Xenophons Symposion das frühere? Aschaffenburg 1898.

huius rationis aliae formae atque illa, cuius apud Herodotum simplex vis tempore propter scriptorum inimicitias mutatur, eadem de causa fiant, postea videbimus.

Alterius loci Herodoti verbis cum Hecataei comparatis (II 156: ἔστι μὲν ἐν λίμνῃ βαθέῃ καὶ πλατέῃ κειμένη παρὰ τὸ ἐν Βουτοῖ ἱρόν, λέγεται δὲ ὑπ᾽ Αἰγυπτίων εἶναι αὕτη ἡ νῆσος πλωτή. αὐτὸς μὲν ἔγωγε οὔτε πλέουσαν οὔτε κινηθεῖσαν εἶδον, τέθηπα δὲ ἀκούων εἰ νῆσος ἀληθέως ἐστὶ πλωτή. ∾ fr. 284 (FHG I): ἔστι καὶ Χέμβις νῆσος διὰ τοῦ β ἐν Βούτοις, ὡς Ἑκαταῖος ἐν Περιηγήσει Αἰγύπτου. „ἐν Βούτοις περὶ τὸ ἱρὸν τῆς Λητοῦς ἐστι νῆσος Χέμβις οὔνομα, ἱρὴ τοῦ Ἀπόλλωνος· ἔστιν δ᾽ ἡ νῆσος μεταρσίη καὶ περιπλεῖ [ἐπὶ τοῦ ὕδατος] καὶ κινεῖται ἐπὶ τοῦ ὕδατος“) Herodotum illius verba nequaquam secutum esse intellegimus. Sed eorum verborum, quae oratione obliqua reddit, illud μεταρσίη cum πλωτή voce usitata commutat. Cetera Hecataei verba exscribit, quibus eum refellat. Quo modo fit, ut commutentur et e suo nexu removeantur. Altero loco (II 5 ∾ FHG I f. 279) Herodotus Hecataei verborum structuram quamquam additamentis auctam tenere atque illud δῶρον τοῦ ποταμοῦ ad verbum transscribere videtur. Adde eum locum (II 77), quo Herodotum Hecataeo non nominato operam dare, ut eius verba sua faciat, Diels (p. 425) optime exponit.

Videmus igitur Herodotum ne tam parva quidem Hecataei enuntiata verbotenus exscribere, sed ad suam orationem et consilium aptare. Qua de causa, nisi eius verba cum auctori laudato comparantur, fieri non potest, ut altera ab alterius verbis seiungantur. Itaque rationem non multo diversam adhibuisse eis videtur locis, quibus Herodoti verba cum Hecataei comparari quidem non possunt, sed eum Hecataeo usum esse fidem habemus Porphyrio, qui dicit (Euseb. Praep. Ev. X 3 p. 466 B): Ἡρόδοτος ἐν τῇ δευτέρᾳ πολλὰ Ἑκαταίου τοῦ Μιλησίου κατὰ λέξιν μετήνεγκεν ἐκ τῆς περιηγήσεως βραχέα παραποιήσας, τὰ τοῦ Φοίνικος ὀρνέου καὶ περὶ τοῦ ποταμίου ἵππου καὶ τῆς θήρας τῶν κροκοδείλων.

Quoniam Herodotum pertractavi, nunc de Xenophonte pauca dicam. Mem. I 4,1 legitur hoc: εἰ δέ τινες Σωκράτην νομίζουσιν, οἷς ἔνιοι γράφουσί τε καὶ λέγουσι περὶ αὐτοῦ τεκμαιρόμενοι, προτρέψασθαι μὲν

ἀνθρώπους ἐπ᾽ ἀρετὴν· κράτιστον γεγονέναι, προαγαγεῖν δ᾽ ἐπ᾽ αὐτὴν οὐχ ἱκανόν, σκεψάμενοι πτλ. Hoc uno loco a Xenophonte complures laudantur. Nam ei, qui νομίζουσι ab eis, qui γράφουσί τε καὶ λέγουσι plane discernuntur. His enim illos credere, quae de Socrate scribant atque dicant. Sed qui illi fuerint dici non potest, his Grote (*Plato and the other companions of Socrates* III 23) suo iure docuit subesse auctorem Clitophontis. Hoc in dialogo ea, quae Xenophon adfert, de Socrate dicuntur, eum aptissimum esse, qui homines ad virtutem adhortetur, non idoneum esse, qui eos ad virtutem ipsam adducat eamque doceat. Xenophon igitur hunc dialogum, cum eius summam dicit, adfert. Adversarios hic adlatos Xenophon non concitatus refutat. Hoc de Mem. I 2, 19 dici non potest, ubi legimus: ἴσως οὖν εἴποιεν ἂν πολλοὶ τῶν φασκόντων φιλοσοφεῖν ὅτι οὐκ ἄν ποτε ὁ δίκαιος ἄδικος γένοιτο, οὐδὲ ὁ σώφρων ὑβριστής, οὐδὲ ἄλλο οὐδὲν ὧν μάθησίς ἐστιν ὁ μαθὼν ἀνεπιστήμων ἄν ποτε γένοιτο. Nam cum id, quod adversarii proferunt, velut si Xenophonti ipsi relata, in contrariam partem adferant, tum illud πολλοὶ τῶν φασκόντων φιλοσοφεῖν indignationis cuiusdam est. Hoc enim modo Xenophon adversarium philosophum simulare, non esse paene contemptim dicit. Auctor a Xenophonte sic notatus, ut Dümmler (*Akad.* p. 198) rectissime contendit, Antisthenes est, cuius de virtute, quae doceri neque amitti possit, sententiam Xenophon hic adfert. Prima quidem specie mirum est, quod Xenophon illud in Antisthene, cui multa accepta eum referre supra diximus, animo ingrato vituperat. Neque tamen talia apud scriptores veteres inaudita esse et ratio, quae Herodoto cum Hecataeo intercedit, docet et Diels (*Herm.* XXII 430) demonstravit: Aristotelem enim in animalium historiam multa, quae Herodotus rettulisset, fere verbotenus exscripta recepisse, tamen de an. gen. III 5 p. 756 b 6 τὸν μυθολόγον increpans eundem vocare.

Haec satis sunto, ut quomodo et quos auctores Xenophon nominibus non additis adferat discamus. Cetera postea aliis in rebus tractandis persequemur.

Quantum interest inter Xenophontem et Platonem cum ceteris rebus tum arte auctores laudandi! Nam Platonis ars summa

est atque maximae varietatis. Etenim res, quae ad hanc quaestionem pertinent, simplices et elegantissimas atque ingeniosissimas invenimus.

Maior criminibus falsis in se delatis Socrates ad Polycratem adversarium notandum (Gercke p. XLIV sq.) simplici illo τὶς usus Gorg. 522 B dicit: ἐάν τέ τίς με ἢ νεωτέρους φῇ διαφθείρειν ἀπορεῖν ποιοῦντα, ἢ τοὺς πρεσβυτέρους κακηγορεῖν λέγοντα πικροὺς λόγους κτλ. Eodem modo Theaet. 201 CD Antisthenis de cognitione sententia adfertur[1]): Ὅ γε ἐγώ, ὦ Σώκρατες, εἰπόντος του ἀκούσας ἐπελελήσμην, νῦν δ᾽ ἐννοῶ· ἔφη δὲ τὴν μὲν μετὰ λόγου ἀληθῆ δόξαν ἐπιστήμην εἶναι, τὴν δὲ ἄλογον ἐκτὸς ἐπιστήμης· καὶ ὧν μὲν μή ἐστι λόγος, οὐκ ἐπιστητὰ εἶναι, οὑτωσὶ καὶ ὀνομάζων, ἃ δ᾽ ἔχει, ἐπιστητά. Ut ceteras sic hanc quoque tertiam definitionem, quam Socrates refellat, Theaetetus, tamquam si auditu compertam habeat, adfert. Neque dubium est, quin hoc a Platone fingatur, ut auctorem non nominatum esse aequalem nimia perspicuitate vitata significetur. Deinde Socrates eodem figmento usus Antisthenem paulo neglegentius laudat. Nam sicut Xenophon Mem. I 4, 1 ἐνίους unum Clitophontis auctorem intellegit, ita Socrates 201 D pro uno nonnullos dicit. Sed Antisthenis de cognitione sententiam, cuius Theaetetus summam adtulit, continuam edocet. Cum ille Antisthenis placitum, quoniam breve est, ad verbum fere laudare videatur, Socratis orationem, qua totam Antisthenis doctrinam amplectitur, puto Platonis esse, ut quo auctore ad eam conscribendam usus sit non apertum sit nisi e terminis technicis 201 E (στοιχεῖα), 202 A (οἰκεῖον αὑτοῦ λόγον), 202 B (ὄνομα), 202 A (τῶν πρώτων), 202 B (συλλαβάς) adhibitis. Haec Socratis oratio, qua ad Antisthenem subtiliter redarguendum opus est, disputando de singulis rebus in sermonem formatur. Simile quid alio loco Platonico magis perspicuum est. Men. 71 D enim Socrates e Menone quid virtus sit quaerit. Respondens hic virtutes virorum feminarum puerorum discernit, quo fit, ut Socrates, qui ad virtutem ipsam spectat, Antisthenis,

1) Brandis, Gesch. d. gr.-röm. Philos. II 202. Zeller, Ph. d. Gr. II 1⁴, 294, 1 Urban, Über die Erwähnungen der Philosophie des Antisthenes in den Platonischen Schriften. Königsberg 1882, p. 11 sq.

qui virorum et feminarum virtutem unam atque eandem esse contendit (Diog. Laert. VI 12), reminiscatur (Urban p. 23). Quod ut Meno concedat, eum Antisthenis sententia usus interrogat sic (72 D): πότερον δὲ περὶ ἀρετῆς μόνον σοι οὕτω δοκεῖ, ὦ Μένων, ἄλλη μὲν ἀνδρὸς εἶναι, ἄλλη δὲ γυναικὸς καὶ τῶν ἄλλων κτλ. Secuntur exempla. Meno, etsi ad haec tantum respondet, tamen ut omnium virtutem unam et eandem esse comprobet cogitur. Itaque Socrates 73 C dicit: οὐκ ἂν δήπου, εἴ γε μὴ ἡ αὐτὴ ἀρετὴ ἦν αὐτῶν, τῷ αὐτῷ ἂν τρόπῳ ἀγαθοὶ ἦσαν. Tum Meno: οὐ δῆτα. Denique Socrates omnia sic complectitur: ἐπειδὴ τοίνυν ἡ αὐτὴ ἀρετὴ πάντων ἐστιν, πειρῶ κτλ. Hoc modo Socrates cum Menone disputans Antisthenis sententiam, bis adfert et neutro loco, cum alterius auctoris sit, ad verbum repetit.

Haec quam licenter atque eleganter Plato sententias quasdam adferat illustrent et ea, quae de ratione sermoni cum verbis laudatis intercedente supra diximus, suppleant. Una igitur Antisthenis sententia in sermonem, in quo commutata saepius occurrit, amplificatur.

Alii sunt loci, quibus aeque atque illis priore loco tractatis auctor non notatus nisi vocabulis illis simplicibus aut τὶς aut τινὲς reicitur, velut De rep. III 410 B, quo loco Plato cum Isocrate dissentit (Reinhardt, De Is. aem. p. 38), Lys. 215 C, De rep. X 598 B, ubi non secus ac Theaet. 201 C Antisthenem auctorem laudatum aequalem esse verbo ἀκούειν significatur (Dümmler, *Akad.* p. 201; Antisthen. p. 25 sqq). Neque vero ita multi sunt, quia Plato ceterorum scriptorum simplicitatem spernit. Immo eum ad auctores laudandos libentissime eis verbis uti, quibus eorum non solum mores atque doctrinam aut describat aut derideat sed etiam libros et verba significet, luce clarius est. Hoc enim modo artis atque ingenii exhibendi facultas ei multo copiosior datur, quam si auctores simplicissime notet. Haec Platonis ratio exemplis nonnullis illustretur.

Soph. 251 B hospes hominibus varias res, colorem, speciem, magnitudinem attribui dicit. Quae cum Antistheni maxime contraria sint, Plato hac occasione oblata, quid de eius sapientia sentiat apertissime significat. Nam quid Antisthenes de rebus

putet ab hospite modo dictis cum adferat, ad illum notandum verbis acerrimis utitur (Urban p. 18). Antisthenem, qui tum cum Plato Sophistam dialogum scripsit, ut hoc e loco sequitur, senex esse coepit, inter senes dicit eum esse, qui sero didicerit (ὀψιμαθής). Continuo, postquam similem in sententiam hoc dixit: ἐντυγχάνεις γάρ, ὦ Θεαίτητε, ὡς ἐγᾦμαι, πολλάκις τὰ τοιαῦτα ἐσπουδακόσιν, ἐνίοτε πρεσβυτέροις ἀνθρώποις (251 C) addit hoc: καὶ ὑπὸ πενίας τῆς περὶ φρόνησιν κτήσεως τὰ τοιαῦτα τεθαυμακόσι, καὶ δή τι καὶ πάσσοφον οἰομένοις τοῦτ' αὐτὸ ἀνευρηκέναι, quibus verbis vitae statum absolutum atque paupertatem, quae Antisthenem praedicavisse nemo nescit, significat et in eius animum transfert eiusque adeo sapientiam irridet. Quod se adulescentibus et senibus, qui sero didicerint, cenam paravisse antea dicit, Antisthenis studium rixandi, cuius complures libri paulo post commemorandi testes sunt, cavillatur. Nam Platonem eam cenam, quam illi incidant, intellectam velle consentaneum est. Verbo σοφοῦ usus Plato Antisthenem saepius laudat et id plerumque ad auctorem sic elatum irridendum. Quod Lys. 214 B: οὐκοῦν καὶ τοῖς τῶν σοφωτάτων συγγράμμασιν ἐντετύχηκας ταῦτα αὐτὰ λέγουσιν, ὅτι τὸ ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ ἀνάγκη ἀεὶ φίλον εἶναι; (Dümmler, *Akad.* p. 201) atque melius Phaed. 90 B observamus: καὶ μάλιστα δὴ οἱ περὶ τοὺς ἀντιλογικοὺς λόγους διατρίψαντες οἶσθ' ὅτι τελευτῶντες οἴονται σοφώτατοι γεγονέναι τε καὶ κατανενοηκέναι κτλ. Priorum huius loci verborum causa addo alterum qui ne extremorum quidem ratione irridendi caret (Lys. 216 A): καὶ ἡμῖν εὐθὺς ἅσμενοι ἐπιπηδήσονται οὗτοι οἱ πάσσοφοι ἄνδρες, οἱ ἀντιλογικοί, καὶ ἐρήσονται εἰ οὐκ ἐναντιώτατον ἔχθρα φιλίᾳ. Hic enim Platonem ad Antisthenem notandum (Dümmler) eius rixosam disserendi rationem et libros significare videmus rixosos, quorum Diogenes Laertius IV 1,9 complures laudat: Ἀλήθεια, περὶ τοῦ διαλέγεσθαι, ἀντιλογικός, Σάθων ἢ περὶ τοῦ ἀντιλέγειν α' β' γ', περὶ διαλέκτου . . . περὶ ὀνομάτων χρήσεως ἢ ἐριστικός.

Talia non solum apud Platonem sed etiam in Isocratis orationibus inveniuntur. Initio enim orat. XIII Antisthenem[1]) sic

1) Usener, Quaest. Anaxim. p. 12. Überweg, Philol. XXVII 175 sqq. Reinhard, De Isocr. aemul. Bonn 1873, p. 25.

perstringit: τίς γὰρ οὐκ ἂν μισήσειεν ἅμα καὶ καταφρονήσειε πρῶτον μὲν τῶν περὶ τὰς ἔριδας διατριβόντων, οἳ προσποιοῦνται μὲν τὴν ἀλήθειαν ζητεῖν, εὐθὺς δ' ἐν ἀρχῇ τῶν ἐπαγγελμάτων ψευδῆ λέγειν. ἐπιχειροῦσιν; Isocrates, quem similiter atque Platonem monstrare Antisthenem rixandi cupidissimum esse ut omittam, cogitat de nobilissimo eius libro, quem Platonem similiter laudare supra commemoravimus, cum dicit οἳ προσποιοῦνται μὲν τὴν ἀλήθειαν ζητεῖν, atque εὐθὺς δ' ἐν ἀρχῇ τῶν ἐπαγγελμάτων ψευδῆ λέγειν ἐπιχειροῦσιν illud οὐκ ἔστι ψεύδεσθαι, quod Antisthenem contendisse ex Aristotelis Metaph. IV 29 p. 1024 b 32 (Winckelmann, Antisth. Fragm. p. 36) scimus, alludit. Porro etiam Isocrates Antisthenis senectutem in ludibrium, quo ne Platonem quidem intactum relinquit, vertit initio Helenae (X 1)[1]: καὶ καταγεγηράκασιν οἱ μὲν οὐ φάσκοντες οἷόν τ' εἶναι ψευδῆ λέγειν οὐδ' ἀντιλέγειν οὐδὲ δύω λόγω περὶ τῶν αὐτῶν πραγμάτων ἀντειπεῖν, οἱ δὲ (i. e. Plato) διεξιόντες, ὡς ἀνδρία καὶ σοφία καὶ δικαιοσύνη ταὐτόν ἐστι καὶ φύσει μὲν οὐδὲν αὐτῶν ἔχομεν, μία δ' ἐπιστήμη καθ' ἁπάντων ἐστίν, ubi Isocrates illud Antisthenis, etsi orationi suae arte contexit, tamen verbis eius usus exscribere videtur. Apud Isocratem igitur idem atque in Platonis scriptis observamus. Sententia enim ab Isocrate hic laudata, quae ad verba auctoris ipsius prope accedit, breviter dicta est et apud omnes pervagata. Sed apud Isocratem verba hoc modo laudata multo rarius quam in Platonis dialogis inveniuntur, quod Isocrates magis Platone scriptorum verba non tam exscribere quam significare solet, id quod verba huius loci ad Platonem spectantia docent. Aliud huiusmodi exemplum e Nicoclis initio petimus. Quod ibi Isocrates dicit (III 1): εἰσί τινες, οἳ δυσκόλως ἔχουσι πρὸς τοὺς λόγους καὶ διαμέμφονται τοὺς φιλοσοφοῦντας, ei Platonis Gorgias obversatur (Sudhaus, *Rhein. Mus.* XLIV 66 sqq.; Dümmler, *Kleine Schriften, Leipzig 1901*, I 79 sqq. Gercke p. LIV.). Neque tamen Platonis sententias repetit, sed quasi consilium dialogi sit Platonis, eum laudat. Deinde sic pergit: καί φασιν αὐτοὺς οὐκ ἀρετῆς ἀλλὰ πλεονεξίας ἕνεκα ποιεῖσθαι τὰς τοιαύτας διατριβάς. Operam

1) Spengel, Abh. d. Bayr. Akad. 1855 VII 755. Überweg p. 177. Reinhardt p. 25. Natorp, Philol. L 616.

et oleum perderemus, si sententiam similiter dictam apud Platonem invenire vellemus. Nam Isocrates summam tantum eorum reddit, quae Plato in Gorgia dialogo (482 C sqq.) de aviditate (πλεονεξία) disputat. Simili ratione Isocrates XII 118 utitur, ubi ad Platonis Gorgiam et librum de republica I scriptum respicit (Spengel p. 756). Nam Platonem, qui his in dialogis auctor est praestare iniuriam accipere quam facere, plane laudat, etiamsi modo rhetorum philosophos quosdam interrogatos illud non concessuros esse dicit. Isocrates, ut est orator, verbis auctoris non adhaerescit (Gorg. 509 CD), sed ea sic sua facit, ut ex ipsius verbis vix emicent.

Sed haec hactenus. Iam ad Platonem reversi locum Theaeteti (155E), quo Plato Antisthenem carpit, consideremus.

In disputando num cognitio opinio sit, fit, ut Theaetetus ea, quae Socrates exposuit, non satis animo comprehendat. Itaque philosophus ille artis obstetriciae peritissimus ei in veritate Protagorae aliorumque virorum nobilissimorum sententiis recondita patefacienda opitulatur. Sed priusquam disserendi initium facit, dicit (155E): Ἄθρει δὴ περισκοπῶν, μή τις τῶν ἀμυήτων ἐπακούῃ. εἰσὶ δὲ οὗτοι οἱ οὐδὲν ἄλλο οἰόμενοι εἶναι ἢ οὗ ἂν δύνωνται ἀπρὶξ τοῖν χεροῖν λαβέσθαι, πράξεις δὲ καὶ γενέσεις καὶ πᾶν τὸ ἀόρατον οὐκ ἀποδεχόμενοι ὡς ἐν οὐσίας μέρει. Tum Theaetetus: Καὶ μὲν δή, ὦ Σώκρατες, σκληρούς γε λέγεις καὶ ἀντιτύπους ἀνθρώπους. Quod Socrates affirmat: Εἰσὶ γάρ, ὦ παῖ, μάλ' εὖ ἄμουσοι. Homines sic notatos Dümmler (Antisthen. p. 51 sqq. Zeller *Ph. d. Gr.* II 1^4, 288,2) probavit esse Antisthenem, cuius doctrinam Plato pro sua consuetudine depravat. Adversarium enim suum σκληροὺς καὶ ἀντιτύπους ἀνθρώπους nominat, et quia nihil aliud esse nisi id, quod sensibus percipi posset, putabat (itaque respicit verbo ἀντίτυποι ad προσβολήν atque ἐπαφήν, quas Antisthenem corporibus attribuisse ipse (Soph. 246 A cf. Dümml. p. 54) auctor est), et quia ei inimicissimus erat (cf. Athen. V 220 D; XI 507 A). Atque hoc verbo ἀμύητος planius fit: inimicum ut hominem non initiatum, qui doctrinam suam tamquam sacra deorum non intellegat, arcet.

Hic locus idoneus est, quo Platonis ratio auctores notandi maxime varia atque acerrima optime illustretur. Neque enim

modo e pleno et laeto Platonis genere dicendi eque summo eius ingenio huius rationis causa repetenda est, sed etiam ex eo, quod Plato, cum auctores adferat, non tam contra res quam contra auctores sibi inimicissimos pugnat, id quod Isocrates in orationibus conscribendis sibi non minus proposuit. Nam ut multitudine verborum supersedeam, tantum hoc dico, Platonem cum Megaricis, quamquam ne eis quidem assentitur, clementius agere. Hos enim De rep. VI 505 B (ἀλλὰ μὴν καὶ τόδε γε οἶσθα, ὅτι τοῖς μὲν πολλοῖς ἡδονὴ δοκεῖ εἶναι τὸ ἀγαθόν, τοῖς δὲ κομψοτέροις φρόνησις.) κομψοτέρους esse dicit (Zeller *Ph. d. Gr.* II 1^4, 260, 1). Quid? Quod Plato Soph. 248 A his verbis usus: Πρὸς δὴ τοὺς ἑτέρους ἴωμεν, τοὺς τῶν εἰδῶν φίλους· σὺ δ' ἡμῖν καὶ τὰ παρὰ τούτων ἀφερμήνευε. κτλ., se ipse laudat, ut quid antea de ideis docuerit, corrigat! (Hirzel, *Herm.* VIII 128; Dittenberger, *Herm.* XVI 343).

Quae omnia cum ita sint, gradus et quasi processus quidam rationis tecte adferendorum auctorum, qua scriptores Graeci utebantur, intelleguntur. Pro processu enim generis scribendi simplex Herodoti ratio in Platonis et Isocratis scriptis artificiosior fit. Maioris autem momenti est, quod ad rationem auctores adferendi simultates, quae alteri auctori cum altero intercedunt, magis atque magis pertinent.

Iam vero omnibus his locis aequales adferri animo reputantes non dubitamus, quin ut ceteri scriptores ita Plato et Isocrates cum modo magis modo minus contra auctores adlatos pugnarent, commoti sint, ut eorum nomina tacerent. Idque exemplo quodam e Platonis ipsius scriptis petito affirmandum est. Quo enim modo inimicitia orta ex amicitia secum ferat, ut amicus aliter appelletur atque inimicus, ratio, quae est inter Platonem et Isocratem, optime docet. Cuius rationis alteram partem e Platonis Phaedro, alteram ex Euthydemo cognoscimus (Spengel p. 763). Nam ex illius dialogi extrema parte Platonem Isocrati intima familiaritate tum coniunctum fuisse colligere licet. Plato enim amicum suum summis laudibus elatum, qui adulescens generosi ingenii sit, et in orationibus conscribendis et in rebus excelsioribus, quae ad philosophiam illam divinam pertineant, aetate firmata omnibus praecursurum esse vaticinatur. Quid? Quod Isocrates

a Phaedro Socratis amicus et Ἰσοκράτης ὁ καλός (271 E) dictus a Socrate ipso ut deliciae atque amores magni aestimatur. At quam aliter, postquam necessitudine sublata summum alterius in alterum odium ortum est, res in Euthydemo dialogo exeunte se habet! Nam ibi Plato ei non nominato repugnat, iam non cum eo ut amico consentit. Sed cum Crito eum non modo Socratem, sed universam philosophiam reprehendentem se audivisse narraverit, in summam Socratis vituperationem venit (305 C). Uterque autem eorum, qui colloquuntur, quem in animo habeat, his: τούτων τις τῶν περὶ τοὺς λόγους τοὺς εἰς τὰ δικαστήρια δεινῶν (304 D) atque paulo planius his significatur; ἥκιστα νὴ τὸν Δία ῥήτωρ, οὐδὲ οἶμαι πώποτ' αὐτὸν ἐπὶ δικαστήριον ἀναβεβηκέναι· ἀλλ' ἐπαΐειν αὐτόν φασι περὶ τοῦ πράγματος νὴ τὸν Δία καὶ δεινὸν εἶναι καὶ δεινοὺς λόγους συντιθέναι (305 C). Verba, quibus Isocrates ornatur, sunt eadem, quibus Antisthenes carpi solet: ἀνὴρ οἰόμενος πάνυ εἶναι σοφός (304 D) et οἴονται δ' εἶναι πάντων σοφώτατοι ἀνθρώπων (305 C), sed Isocratem ipsum nominare Plato intermittit.

Quam in Isocrate adferendo rationem Plato adhibuit, eadem eis locis, quos exscripsimus, et ceteris, quibus aequales non nominatim laudatos impugnat, eum usum esse putare licet. Itaque id confirmatur, quod supra posui, Platonem, cum contra scriptores suae aetatis vehementer pugnaret, eos nominare veritum esse, id quod etiam de Isocrate et Xenophonte dicendum est.

Iam locis longe plurimis scriptores aequales non nominatim adferri perspicuum est, quorum paucos exscripsi. Iam ut omnes dubitationes tollantur, id monere satis erit, e scriptorum Graecorum eiusdem fere aetatis numero Themistogene Syracusano excepto neminem nisi Lysiam et Isocratem a Platone laudari. Scriptorum ergo eam esse colligendum est consuetudinem, ut suorum temporum auctores nominatim non adferant, praesertim cum omnes impugnent. Ea ipsa re haec orta est consuetudo. Ne omnes quidem auctores aetate maiores nominatim adferuntur, qua de re paulo post disseremus.

Herodotus, ut est consideratus, neminem, quem contra pugnat, ne eos quidem, qui ante eum fuerunt, nominat. Hecataeum quidem, cum non ita multo ante eum ipsum floruerit, ab eo taceri,

facile intellegitur. Sed ne priores quidem Hecataeo auctores Herodotus nominatim laudat. Initium enim libros oratione soluta conscribendi non ita multo ante Herodotum factum est, ut auctores priores ab eis, qui Herodoti aetate florebant, satis diversi essent. Nam Herodotus ipse in numero eorum, qui libros oratione soluta conscribere coeperunt, refertur. Quo autem plures post eum scriptores fuerunt, eo magis auctores superiores a posterioribus discernebantur, quare apud posteriores scriptores illi alia ratione quam hi laudari solebant. Hoc verum esse Platonis Theaeteto et Isocratis Helena melius nihil docere potest. In Theaeteto, quo in dialogo de compluribus cognitionis definitionibus disseritur, sententiis Heracliti et Protagorae, qui nominantur, tractatis Plato, quo loco ad Antisthenis definitionem transit (201 C), eo Antisthenem tacere incipit. Neque aliter initio Helenae Antisthenes una cum Platone, quorum neuter nominatur, ut supra dictum est, perstringitur. Sed de quibus deinde verba facit, de Protagora Gorgia Zenone Melisso vita defunctis, eos, quamquam pari modo reprehendit, nominare non dubitat.

Cuius consuetudinis causa, ut supra demonstratum est, ex inimicitiis scriptorum est repetenda. Hoc comprobabit, quicumque scriptorum Graecorum opera forensi luci exposita esse animo reputaverit. Herodoti enim libros recitando innotuisse traditur[1]); quo factum est, ut Herodotus vereretur apud totum populum scriptores sibi aequos et pares palam nominatos corrigere atque reprehendere. Haec ratio una cum primis libris foras datis ipsis orta postea in omnium consuetudinem venit. Unum Heraclitum ea nondum uti vidimus. Ut homo Ionicus acerrimus illam consuetudinem non neglexit. Neque enim Herodotus alia e natione ortus est, neque fieri potuit, ut mos scriptorum, quem statuimus, parvo temporis spatio inter Heracliti et Herodoti tempora intermisso in contrarium verteretur. Immo Heraclitus librum suum publici iuris non fecit, sed, ut Diels (*Herakleitos von Ephesos*, p. VII) suo iure arbitratur, nemini nisi amicis suis scripsit. Quod

1) Plut. De Herod. malignit. 26. — Kirchhoff, Über die Entstehungszeit des herodotischen Geschichtswerkes. 2. A. Berlin 1878, p. 11 sq.

si ita est, auctores perstrictos reprehensos esse cum nec ipsi nec multitudo comperirent, nominare Heraclito non dubitandum erat. Hanc igitur librorum publici iuris et factorum et non factorum diversitatem cognoscimus: in his nihil erat, quod auctores aequales tacerentur, in illis non nominari solebant; eandemque differentiam is, qui Aristotelis scripta perlustraverit, ibi reperiet.

Accedit aliud. Laudatio enim accurata non est nisi et auctores eorumque verba laudantur et, e quibus libris ea hausta sint, adfertur. Sed in his notandis scriptores Graecos neglegentia quadam ductos esse demonstratum est, qua de re pauca addenda sunt. Tota enim ratio auctores tacendi fert, ut auctorum laudatorum libri plerumque silentio praetermittantur. Nam ab hac ratione alienum esset, si auctoribus non accurate dictis, praesertim aequalibus, quos semper de industria taceri persuasum habemus, librorum tituli adderentur. Neque enim minus aperte librorum titulis adiectis notarentur, quam si nominarentur. Itaque non mirum est, quod apud scriptores Graecos fere nusquam tituli librorum eiusdem aetatis inveniuntur. Neminem ab hac consuetudine decedentem videmus nisi Isocratem, qui quos auctores abdere vult, eos tamen libris laudatis plane notat: X 14: Διὸ καὶ τὸν γράψαντα περὶ τῆς Ἑλένης ἐπαινῶ μάλιστα τῶν εὖ λέγειν τι βουληθέντων κτλ., quo loco Isocrates auctorem laudandum, si nominare nolebat, aliter notare vix potuit, et V 12: . . . ἀλλ’ ὁμοίως οἱ τοιοῦτοι τῶν λόγων ἄκυροι τυγχάνουσιν ὄντες τοῖς νόμοις καὶ ταῖς πολιτείαις ταῖς ὑπὸ τῶν σοφιστῶν γεγραμμέναις κτλ., ubi Legibus et Republica dictis Platonem anno ante mortuum (nam Isocratem Philippum anno 346 conscripsisse ex huius orationis argumento scimus) laudat (Spengel p. 757).

Iam vero respiciendum est, quo fiat, ut scriptores Graeci, qui auctores aequales non nominatim laudant eorumque libros omittunt, tacendi necessitatem, ut aiunt, in rationem vertant. Plerumque enim eorum quoque scriptorum ac poetarum nominatorum, quorum librorum titulos facile erat dicere, libri omittuntur. Quae ratio et eadem est, qua scriptores ac poetae notissimi tacentur, neque eadem causa caret. Nam scriptores veteres vix facere potuerunt, quin saepius neglegentia quadam usi auctores lauda-

rent, quia omnes veterum libri oratione soluta confecti, qui ad nostram aetatem pervenerunt, Aristotelis scriptis, quibus artis praecepta persequitur, exceptis, et ratione ac disciplina carent et artificiose ac populariter scripti sunt. Nam etiamsi dialogi quidam Platonis senis, velut Philebus, Parmenides alii, hoc ceterorum scriptorum habitu quodammodo carent, non tamen totum eum perdunt. Quodsi igitur scriptores ita scribere solebant, ut scripta libenter legerentur, sua sponte operam dederunt, ut omnia, quae scientiae et pervestigationis sunt, omitterent neque rebus minoribus, velut auctorum laudatorum nominibus aut libris, praesertim cum interesse soleret eorum sententias adferre, vim tribuerent, neque auctores nobilissimos, velut Homerum et alios poetas eorumque carmina nimis late dicerent, sed eos, qui legunt, eorum commonefacerent. Neque enim modo auctoribus ipsis sed etiam eis, qui legunt, nimia in libris ad sensum popularem vulgaremque accommodatis diligentia gravis est.

Neque vero hac veterum scriptorum Graecorum ratione laudandi explanata, quae specie non re ipsa similis est ei, qua etiam horum temporum scriptores in libris populariter conscribendis utuntur, iam ad finem huius quaestionis pervenimus. Iam alia sunt consideranda, quae scriptorum nonnullorum non minus propria sunt quam omnium ratio adhuc tractata. Quae ut melius intellegamus, scriptores Graecos praesertim oratores et rhetores, qui saeculo a. Chr. n. V et IV fuerunt, rebus fictis maxime delectatos esse monendum est. Ne longus sim, plurimas Antiphontis orationes de causis fictis scriptas esse commemoro. Alterius modi sunt Isocratis orationes fictae, quae ad causas non pertinent. Quo ex numero nonnullas exempli gratia proferam. Eam orationem, quae Νικοκλῆς inscribitur, Nicocles, quamquam ab Isocrate loquens inducitur, non habuit. Ac ne Πλαταικός quidem in Atheniensium contione habitus est, immo tamquam Thebanis apud Athenienses dicendus fictus est. Praeterea Isocrates sophistarum modo laudes Helenae et Busiridis finxit, quae fabularum argumenta alii quoque illorum temporum rhetores agitabant. Inter quos Polycrates, ut erat sophista, non modo de fabularum hominibus notissimis orationes composuit, sed etiam accusationem quandam Socratis finxit, quam a Cobeto primo optime illustratam alii viri doctissimi e vestigiis, quae in scriptorum veterum libris inveniuntur, quantum fieri potest, restituerunt[1]). Illam orationem Polycrates ita scripsit, ut Anyti, quem dicentem fecit, ipsius oratio apud iudices in Socratem habita esse videretur, atque crimina sua, quae post annum demum 394 lucem vidisse e Favorino (quem Diogenes Laertius II 39 laudat) scimus, anno 399 ab accusatore prolata esse finxit. Praeter hanc accusationem fictam ad hanc quaestionem Platonis dialogi, qui una cum Xenophontis e numero dialogorum Socraticorum soli usque ad nostram memoriam remanserunt, pertinent. Omnibus autem in dialogis Socraticis Socrates cum aliis eorum temporum hominibus, quo in numero etiam nonnulli auctores erant, colloquebatur.

Polycratis ficta oratio ad Xenophontis rationem auctores laudandi accedit. Nam Xenophon commotus, ut Polycratis crimina in Socratem delata refutaret, Polycratis accusationem fictam secutus Socratem a libello de eo ab accusatore dato defendit (Mem. I 1—2, vid. adn.). Ubicumque Polycratem landat, κατήγορον dicit, qui et eum, qui Socratem in iudicium adduxit, et Anytum Polycratis i. e. Polycratem significat. Xenophon igitur adversarii impugnandi loco adversarium fictum ponit, id quod scriptorum Graecorum consuetudini auctores vivos tacendi optime convenit, et aeque fingit ac Polycrates crimina a se refutanda ab accusatore anno 399 esse prolata. Ita scribere non fuit hominis historici, sed litterati.

Primo Xenophon, quo Socratem ab accusatorum criminibus defendere magis videatur, ea ipsa Mem. I 1,1 exscripta, quantum ad Socratis de deis sententiam attinent, refellit. Deinde ad alterum crimen, quo usi accusatores Socratem adulescentes corrumpere dixerunt, Mem. I 2,1 transit. Cum hoc crimen a Polycrate quoque Socrati illatum sit, id quod ex Isocratis orat. XI 5 et

1) Cobet, Novae lectiones 1858, p. 622 sqq. Quem secuti sunt Schenkl, Xenophont. Stud. II 1 sqq. Döring, Archiv f. Gesch. der Philos. IV, 39 sqq. Hirzel, Rhein. Mus. XLII 239 sqq. Schanz, Plat. Apolog., Leipzig 1893, p. 22 sqq. Gercke p. XLIII sqq.

Libanii Apologia Socratis (46) colligendum est (Hirzel p. 242, Gercke p. XLIV), Xenophon et accusatores et rhetorem significat, qua de re verbis non apertis πεισθῆναί τινας utitur. Quo facto Xenophon paulatim ad accusatorem fictum transit, qui inde a § 9, qua primum laudatur, ad unumquodque crimen refutandum laudatur (Mem. I 2, 9, 12, 49, 51, 56, 58). Quem ad finem Xenophon semper eisdem verbis utitur: ὁ κατήγορος ἔφη et ἔφη ὁ κατήγορος, quae aut inter alia verba, quae oratione recta redduntur, interposita inveniuntur, aut ea sunt, e quibus Polycratis crimina pendeant. Neque enim Xenophon verba laudata orationi suae, qua Polycratem refellit, tecte contexit, sed singula crimina deinceps ita simpliciter et aperte tractat, ut ab accusatore ficto fere alienum sit. Atque a consuetudine breviter ac leviter adferendi, quam adhuc apud scriptores invenimus, Xenophon decedere videtur; neque enim modo aliud ab alio crimen secretum refutat, sed etiam satis accurate exscribere videtur. Quod, quamquam Polycratis verba ipsa non traduntur, tamen explorare possumus. Nam Xenophon loco quodam plus quam refellere ei in animo est, exscribit. I 2,9 enim de altero Polycratis crimine hoc scribit: Ἀλλὰ νὴ Δία, ὁ κατήγορος ἔφη, ὑπερορᾶν ἐποίει τῶν καθεστώτων νόμων τοὺς συνόντας, λέγων ὡς μῶρον εἴη τοὺς μὲν τῆς πόλεως ἄρχοντας ἀπὸ κυάμουκαθιστάναι, κυβερνήτῃ δὲ μηδένα ἐθέλειν χρῆσθαι κυαμευτῷ, μηδὲ τέκτονι, μηδ᾽ αὐλητῇ, μηδ᾽ ἐπ᾽ ἄλλα τοιαῦτα, ἃ πολλῷ ἐλάττονας βλάβας ἁμαρτανόμενα ποιεῖ τῶν περὶ τὴν πόλιν ἁμαρτανομένων· τοὺς δὲ τοιούτους λόγους ἐπαίρειν ἔφη τοὺς νέους καταφρονεῖν τῆς καθεστώσης πολιτείας καὶ ποιεῖν βιαίους κτλ. Xenophon ut Socratem verba de magistratibus sorte creandis fecisse neget, tantum abest, ut studeat, cum Socratem ut hominem prudentem a vi atque iniuria alienum pacis auctorem fuisse dicat, illud καὶ ποιεῖν βιαίους, quod Polycrates e Socratis verbis collegerat, refutare. Illud enim gravissimum refelli non potuit, quia Socrates illud rei publicae Atheniensium institutum, quod eum reprehendisse Polycrates dixerat, reprehendisse videtur (Zeller, *Ph. d. Gr.* II 1^4 169). Tamen Xenophon, quod Polycratis sententias neque contrahere neque corrumpere vult, ea verba, quae refutare non potest, una

cum ceteris exscribit. Nec aliter de eis locis, quibus Polycratis crimina pluribus verbis adferuntur I 2,51 et 56, 58, quorum utroque loco etiam versus a Polycrate exscriptos apud Xenophontem laudatos invenimus, iudicari potest. Verba quidem adversarii Xenophon sua facit, sed eum Polycratis sententias minus concoxisse quam ut opus liberum ac solutum posset conscribere, immo Polycrati nimis adhaerescere verbis laudatis plane ab eis, quibus refutantur, ut supra commemoratum est, seiunctis certiores fimus. Itaque in defensione Socratis conscribenda Polycratis accusationem ante oculos habuit, cum ceteris in locis, praesertim Conv. 8, 32, ubi Pausaniam falso nominat, verba laudata de memoria adtulisse videatur. Xenophon igitur summam ad Polycratis verba ipsa oratione recta exscribenda facultatem sibi datam in priore Memorabilium parte praetermisit, quam ob rem orationi arte vinctae non convenisse auctoris pedestris verba ipsa exscribere in aperto est.

Non multo aliter ac Xenophon Polycratem laudat, Isocrates XV 30 κατήγορον non solum accusatorem sive verum sive fictum, sed etiam Platonem intellegit (Dümmler, *Akad.* p. 63). Quo alio (non simplici illo modo, quem supra cognovimus) a scriptoribus Graecis auctores, qui laudantur, taceantur, hac Isocratis et Xenophontis ratione docemur, quam artificiosissimam neque ullorum esse nisi litteratorum hominum nemo negabit. Nec non Plato ea utitur, quamquam in eius dialogis alia esse videtur. Auctores enim, quos ut fictos Xenophon et Isocrates laudant, in dialogis quibusdam Platonis hominibus personatis subsunt. Hoc Plato ipse significat De rep. V 476 E, ubi Socrates adhortatur Glauconem, ut adversarii loco respondeat. Eadem impugnandi adversarium quendam ratione verbis non significata usus Plato in dialogum, qui Euthydemi nomine inscribitur, inducit Euthydemum et Dionysodorum, sub quibus, ut ita dicam, personis Antisthenem adfert et perstringit[1]). Hoc modo Plato consuetudinem auctores vivos non nominatim laudandi suam urbanissimam

1) Schleiermacher, Platons Werke II 1 p. 401 sqq. Urban p. 8 sqq. — Zeller, Ph. d. Gr. II 1^4, 301, 3. — Bonitz, Platon. Stud. Ed. III, p. 130. — Gercke, Neue Jahrb. f. d. klass. Alt. I 586.

in rationem vertit. Nam cum eos, quibus Antisthenis partes et platica impertivit, irrideat, eum ipsum ludibrio habet neque vero rustice tractat: quo magis illos cavillatur, eo vehementius Antisthenem ipsum carpit. Ac profecto sapientia Dionysodori et Euthydemi, qui in numero sophistarum illorum nobilissimorum non fuerunt (Bonitz, p. 133), acrius derideri vix potest. Nam fratres ipsi, qua sunt summa cupiditate rixandi, arte sua elati risum movent. Neque enim modo 273 D, sed etiam 275 A in virtute ac sapientia optime et celerrime docendis se iactant. Sed vix huius artis periculum fecerunt, cum Socrates utrumque eorum Cliniam, quocum collocuti sunt, ludibrio habere neque ad scientiam ipsam adducere (277 D, 278 BC) narrat. Ita praesertim loco posteriore (278 B: ταῦτα δὴ τῶν μαθημάτων παιδιά ἐστι. 278 C: ταῦτα μὲν οὖν σοι παρὰ τούτων νόμιζε παιδιὰν γεγονέναι) Antisthenis παιδείαν, quae, quamvis ea glorietur, παιδιά sit, significare videtur (Urban p. 9). Postea (299 C) Socrates sophistas, quos 276 D cum saltatoribus comparavit, armorum doctores appellat. Alibi Platonis ludibrium verbis ipsis non depictum ex eis, quae Socrates summa admiratione captus de sophistarum arte dicit, conici potest (283 A, 286 E, 287 C, 294 A, 295 E, 302 A, 303 B). Sed longum est per totum dialogum persequi, quomodo Plato sophistarum argutias acerrime irrideat.

Neque vero modo ludibrio eos habet, sed etiam vehementissime contra eos pugnat. Ctesippum enim Plato satis plane dicentem sophistas ineptias proferre facit. Sed Socrates tectius atque urbanius idem consequitur. Nam et colloquio cum Clinia habito, quomodo iuvenes ad philosophiam atque virtutem instituendi sint, docet, et sophistas sapientiam vetustam proferre demonstrat. Quem ad finem Prodicum, cuius de recto verborum usu sententiam Dionysodorus atque Euthydemus secuti sint, 277 E laudat et multos nihil opponi posse ratos summa se cum admiratione audivisse dicit. Neque enim minus Protagoreos quam priores philosophos hoc placito usos esse (286 BC). Sed vehementius his omnibus rebus Antisthenes argumento dialogi ipso tangitur, quo Plato id spectat, ut non tam sophistarum quam eius ipsius artificia sapientiam assimulatam,

non veram philosophiam, esse doceat (Bonitz p. 104 sqq.). Neque igitur mirum est, quod Plato Antisthenem perstringendum non ipsum inducit, sed sub personas abdit.

Nunc quomodo Plato auctoris impugnati verba ac sententias in medium protulerit videamus. Scilicet plurima uterque sophista suo Marte adfert. Sed hoc monendum est: quo vehementius auctores laudatos impugnat, eo cautius eorum verba ac sententias adfert. Nam auctoribus nominatis aut alio modo notatis Plato, si contra rem laudatam ipsam pugnat, locis a nobis propositis et aliis satis aperte verba sententiasque adfert. Sin ad auctores adferendos talibus verbis utitur, quibus simultatem atque iram significet, vereri videtur nimis diserte verba eorum exscribere. Eo enim loco, quo Antisthenem, ut supra dictum est, laudat (Theaet. 155 E), non verbis eius ipsis, sed imagine et translatione quadam usus est. Quam ad rationem Platonis pugnam in auctores laudatos editam pertinere eis locis, quibus auctores quosdam, velut Antisthenem in Euthydemo dialogo, quasi sub persona quadam, quo magis eum irrideat, ut modo demonstravimus, perstringit, multo planius fit. Haec nobis exponenda sunt.

Ea, quae Plato in Euthydemo dialogo laudat, non tam ad unum librum quam ad magnam litterarum Antisthenis partem attinent. Ars Platonica ea est, ut sermo fingatur, quo et tota ratio moresque sophistarum cognoscantur et Dionysodoro eiusque fratri summa ad Antisthenis more dicendum facultas detur. Antisthenis quaestiones de discendo (μανθάνειν) institutas (Diog. Laert. VI 15: περὶ τοῦ μανθάνειν προβλήματα), quae argutiis caruisse non videntur (Urban, p. 10), Plato laudat, cum Dionysodorum et Euthydemum hac de re quasi iterum disserentes Cliniam verbi μαθάνειν duplicem significationem docentes facit (275 C—277 C). Quod ni ita esset, Plato verbo μανθάνειν iterum atque iterum vix uteretur.

Ut in hac ita in altera quoque disputatione sophistae Antisthenis sententias quasdam proferunt (283 A sqq.). Nam postquam Cliniae amicos nihil malle quam ut periret captiose demonstratum est, Ctesippus irritatus Dionysodorum mentiri satis aperte dicit (283 E). Quo facto Euthydemus e Ctesippo quaerit: Τί δέ, ἔφη ὦ Κτήσιππε, ὁ Εὐθύδημος, ἦ δοκεῖ σοι οἷόν τ᾽ εἶναι ψεύδεσθαι;

ita illud Antisthenis οὐκ ἔστι ψεύδεσθαι (cf. supra p. 36) laudat. Et quam scite Plato Antisthenem laudat! Euthydemus enim recta via hoc potuit dicere: οὐχ οἷόν τ' ἔστι ψεύδεσθαι: Neque tamen id ipsum Plato exscribit, sed Euthydemum mavult ita interrogare, ut idem quod Antisthenes neget. Deinde Euthydemus paradoxi argumentationem, cuius summam eisdem ex sententiis facit, e quibus Antisthenes illud οὐκ ἔστι ψεύδεσθαι collegerat, eius more concludit. Sententiae quidem non repetuntur, sicut illud unum placitum sed commutantur, ut Euthydemi et Ctesippi disputatio fiat. Quae quantum ad Antisthenem pertineat, facile cognosci potest. Nam id, quod Euthydemus 283 E dicit: Πότερον λέγοντα τὸ πρᾶγμα, περὶ οὗ ἂν ὁ λόγος ᾖ, ἢ μὴ λέγοντα; Antisthenis οἰκεῖον λόγον (cf. Aristot. Metaph. IV 29) significat, quem ipsum quoque verbis, quae secuntur, subesse magis perspicuum est: Οὐκοῦν εἴπερ λέγει αὐτό, οὐκ ἄλλο λέγει τῶν ὄντων ἢ ἐκεῖνο, ὅπερ λέγει; Ad conclusionem probandam propositione priore hoc modo facta Plato alteram sic addit: Ἕν μὴν κἀκεῖνό γ' ἐστὶ τῶν ὄντων, ὃ λέγει, χωρὶς τῶν ἄλλων. Πάνυ γε. Οὐκοῦν ὁ ἐκεῖνο λέγων τὸ ὄν, ἔφη, λέγει; Ναί. Inde hoc colligitur: ἀλλὰ μὴν ὅ γε τὸ ὂν λέγων καὶ τὰ ὄντα τἀληθῆ λέγει· ὥστε ὁ Διονυσόδωρος, εἴπερ λέγει τὰ ὄντα, λέγει τἀληθῆ καὶ οὐδὲν κατὰ σοῦ ψεύδεται.

Nec minus quam in hac dialogi parte Antisthenes p. 284 C sqq. respicitur. Nam id, quod Ctesippus Euthydemo, qui neminem mentiri posse, sed unumquemque verum dicere contenderat, opposuit (284 C): Νὴ Δία, ἔφη ὁ Κτήσιππος, ὦ Εὐθύδημε· ἀλλὰ τὰ ὄντα μὲν τρόπον τινὰ λέγει, οὐ μέντοι ὥς γε ἔχει, Dionysodorus ad suam sententiam ipsam confirmandam statim excipit: Πῶς λέγεις, ἔφη ὁ Διονυσόδωρος, ὦ Κτήσιππε; εἰσὶ γάρ τινες, οἳ λέγουσι τὰ πράγματα ὡς ἔχει; εἰσὶ μέντοι, ἔφη, οἱ καλοὶ κἀγαθοὶ καὶ οἱ τἀληθῆ λέγοντες. Τί οὖν; ἦ δ' ὅς· τἀγαθὰ οὐκ εὖ, ἔφη, ἔχει, τὰ δὲ κακὰ κακῶς; Dionysodorum hic idem decretum adhibere, quod Euthydemum 283 E, 284 sequi supra demonstravimus, Antisthenis οἰκεῖον λόγον, quo usus unicuique rei nihil aliud attribui posse nisi id, quod re ipsa diceretur, contendit (ἄνθρωπος ἄνθρωπός ἐστιν cf. Plat. Soph. 251 C, Urban p. 18) et ad ullam rem definiendam non quid, sed quale

esset quaesivit (Zeller, *Ph. d. Gr.* II 1[4] 292 sqq.), verbis εὖ post τἀγαθά et κακῶς post κακά (284 D) et infra θερμῶς post θερμούς, et ψυχρῶς post ψυχρούς (284 E) positis significatur. Neque tamen Dionysodori disputatio, cuius initium exscripsimus, usque ad finem perducitur, quia, postquam Ctesippus cum Dionysodoro rixari coepit, Socrates verba facit. Sic Plato scite viam invenit, qua vitaret, ne Antisthenis sententiam nimis diserte adferret. Haec enim ei ut conclusio exscribenda fuisset, si disputationem ad finem perduxisset.

Quibus ex rebus quo modo Plato Antisthenis placita laudet intellegimus. Nam quamquam ea non verbotenus exscribit, tamen Dionysodorum et Euthydemum inde eadem atque Antisthenes ipse colligentes facit. Et eo, quod Antisthenis sententiam has ad argutias persequendas adhibet, eam ipsam nimis argutam esse probat.

Neque vero modo sub Dionysodori et Euthydemi personis sed etiam Socratis colloquio cum Clinia facto Antisthenes perstringitur. Nam artis exhortatoriae specimine a Socrate dato Antisthenis libri exhortatorii, quo ex numero Diog. Laert. VI 16 hos laudat: περὶ δικαιοσύνης καὶ ἀνδρείας προτρεπτικὸς πρῶτος, δεύτερος, τρίτος, satis aperte his laudantur verbis (282 D): κἀγὼ ταῦτα ἄσμενος ἀκούσας, Τὸ μὲν ἐμόν, ἔφην, παράδειγμα, ὦ Διονυσόδωρέ τε καὶ Εὐθύδημε, οἵων ἐπιθυμῶ τῶν προτρεπτικῶν λόγων εἶναι, τοιοῦτον κτλ. (Urban p. 10). Sed gravius est, quod Socratis disputatio, qua Antisthenis disciplinam (παιδείαν) atque doctrinam exhortatoriam quasi in iudicium vocat, Antistheni ipsi, quantum fieri potest, accommodatur. Quod cognoscere licet e disputationis summa a Socrate 282 A sic facta: ἐπειδὴ εὐδαίμονες μὲν εἶναι προθυμούμεθα πάντες, ἐφάνημεν δὲ τοιοῦτοι γιγνόμενοι ἐκ τοῦ χρῆσθαί τε τοῖς πράγμασι καὶ ὀρθῶς χρῆσθαι, τὴν δὲ ὀρθότητα καὶ εὐτυχίαν ἐπιστήμη ἡ παρέχουσα, δεῖ δή, ὡς ἔοικεν, ἐκ παντὸς τρόπου ἅπαντα ἄνδρα τοῦτο παρασκευάζεσθαι, ὅπως ὡς σοφώτατος ἔσται. His usus verbis Plato id, quod Antisthenes dixit ac voluit, non tam adfert, quam mutatis mutandis corrigit et emendat. Antisthenes enim in libro, qui apud Diogenem (VI 17) περὶ παιδείας ἢ ὀνομάτων inscriptus fuisse traditur, hoc scripsit: ἀρχὴ παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις (Winckelm. p. 33). Easdem ad res liber, quo de verborum

usu egit (Diog. Laert.: περὶ ὀνομάτων χρήσεως ἐριστικός), pertinuisse videtur. Haec argumenta respiciens Plato cum Antisthenis verbis (ὀνόμασι) comparat res (πράγματα), quibus unumquemque uti et id recte necesse sit. Hanc esse, ut Antisthenis et Platonis verbo (282 A) utar, veram ὀρθότητα, non ὀνομάτων ὀρθότητα (277 E). Sed aliud accedit. Ut enim ceteri philosophi Graeci sic Antisthenes id spectavit, ut beate viveret. Neque minus Plato Socratem in colloquio cum Clinia habito homines beatitudinem petere dicentem facit. Sed Socrati scientia fundamentum beatitudinis futurae est, quod Antisthenes, qui a consideratione verborum institutionem inchoari initio libri supra commemorati constituerit, iacere intermiserit. Ut hoc fundamentum ponatur, Plato Antisthenis argumentationem non solum imitatur, sed graviorem facit.

Quibus rebus cognitis sententias Antisthenicas multis locis huius quoque disputationis Socratis subesse in aperto est. Atque hoc omnes concedent, urbanius atque elegantius contra auctores hoc modo adlatos pugnari vix posse. Nam Plato, quamquam longe alia atque adversarius probat, tamen sententiis quibusdam illius et vocabulis usus, quem auctorem in mente habeat homini litterarum perito satis aperte significat.

In dialogis nonnullis auctores philosophi cum Socrate colloquuntur. Ad quos optime describendos Plato etiam sententiis ab eis aut scriptis aut dictis nonnumquam utitur, quas eos iterum dicentes facit, velut Gorgiam et Polum in dialogo, qui Gorgiae nomine inscribitur, et sophistas in Protagora dialogo (cf. Zeller *Arch. f. Gesch. d. Ph.* V 165 sqq.). Hunc esse morem auctores laudandi Platonicum, quem forma dialogica tulerit, paulo post planius fiet. Neque enim eorum loco, qui aliis in dialogis, velut in Theaeteto, aliorum auctorum verba laudant, auctores ipsos sententias suas proferentes facere difficile erat. Hac ratione adhibita vix fieri potuisse, ut in unaquaque sententia laudata auctoris nomen a Platone adderetur, facile intellegitur. Ac ne auctores quidem ipsi hoc et illud se in illo aut illo libro dixisse confirmant, sed occasione oblata sententiam alibi prolatam nec auctore nec libro adiectis una cum eis, quae Plato de suo addit, dicunt.

Sed quem ad modum Plato, cum auctores hoc modo laudet, verbis eorum usus sit, cum nihil fere tradatur, paucis locis dici vix potest. Quae cum ita sint, dialogus, qui Gorgias inscribitur, omnium maxime ideoneus est, quo haec res, quantum fieri potest, explicetur. Nam nonnullae sententiae ibi a Gorgia et Polo prolatae, cum alibi quoque tradantur, bene inter se comparari possunt.

Cum Plato in Gorgia conscribendo hoc sibi proponat, ut quaerat, quid ars rhetorica sit et quid prosit (Gercke p. XIX), prima eius parte Socratem Gorgiam quid ars rhetorica sit interrogare (452 D) consentaneum est. Gorgias respondet: ὅπερ ἐστίν, ὦ Σώκρατες, τῇ ἀληθείᾳ μέγιστον ἀγαθὸν καὶ αἴτιον ἅμα μὲν ἐλευθερίας αὐτοῖς τοῖς ἀνθρώποις, ἅμα δὲ τοῦ ἄλλων ἄρχειν ἐν τῇ αὐτοῦ πόλει ἑκάστῳ, id est, quid ars rhetorica velit. Deinde a Socrate commotus verbis, quae notas generis dicendi Gorgiani prae se ferunt, quid sit ars rhetorica definire incipit: Τὸ πείθειν ἔγωγ' οἷόν τ' εἶναι τοῖς λόγοις καὶ ἐν δικαστηρίῳ δικαστὰς καὶ ἐν βουλευτηρίῳ βουλευτὰς καὶ ἐν ἐκκλησίᾳ ἐκκλησιαστὰς καὶ ἐν ἄλλῳ σολλόγῳ παντί, ὅστις ἂν πολιτικὸς σύλλογος γίγνηται. καίτοι ἐν ταύτῃ τῇ δυνάμει δοῦλον μὲν ἕξεις τὸν ἰατρόν, δοῦλον δὲ τὸν παιδοτρίβην κτλ. Postea Gorgias de vi dicendi verba pulcherrima facit (456 A sqq.). Quibuscum si comparaverimus ea, quae Meno a Socrate Men. 73 C monitus, ut repetat quid virtutem esse Gorgias et ipse putent, respondet: Τί ἄλλο γ' ἢ ἄρχειν οἷόν τ' εἶναι τῶν ἀνθρώπων; et haec Protarchi verba (Phileb. 58 A): Ἤκουον μὲν ἔγωγε, ὦ Σώκρατες, ἑκάστοτε Γοργίου πολλάκις, ὡς ἡ τοῦ πείθειν πολὺ διαφέροι πασῶν τεχνῶν· πάντα γὰρ ὑφ' αὑτῇ δοῦλα δι' ἑκόντων ἀλλ' οὐ διὰ βίας ποιοῖτο, καὶ μακρῷ ἀρίστη πασῶν εἴη τῶν τεχνῶν (Sauppe p. 17), illis locis Gorgiam de suo aliquid adferre cognoscemus. Nam et ea, quae Gorgias Gorg. 452 D dicit, cum Menonis verbis congruunt et Gorgiam, cum quid ars rhetorica sit definiat (452 E) atque 456 A sqq. copia verborum effusa multum persuadendo tribuat (456 C), sententiam a Protarcho laudatam exponere videmus. Porro non solum ea, quae Gorgias dicit (451 D E), sed etiam ea, quae Meno et Protarchus laudant, prope ad Gorgiae ipsius verba accedere videntur. Sed tantum abest, ut Plato Gorgiam sententias ad verbum dicentem faciat, ut eius verba sic ut res postulat,

immutet et cum suis arte contexat verbis. Cum enim Gorgias dicit (452 D): ὅπερ ἐστίν, ὦ Σώκρατες, τῇ ἀληθείᾳ μέγιστον ἀγαθὸν καὶ αἴτιον κτλ., Socratis verba sequitur: qua re structura verborum auctoris laudati ipsius commutatur. Idem planius fit in his verbis: καίτοι ἐν ταύτῃ τῇ δυνάμει δοῦλον μὲν ἕξεις τὸν ἰατρόν, δοῦλον δὲ τὸν παιδοτρίβην, ad quae conscribenda quin Plato sententia a Protarcho laudata usus sit non dubium est, aut in eis, quae Hippias Prot. 337 C pronuntiat: (μετὰ δὲ τὸν Πρόδικον Ἱππίας ὁ σοφὸς εἶπεν), Ὦ ἄνδρες, ἔφη, οἱ παρόντες, ἡγοῦμαι ἐγὼ ὑμᾶς συγγενεῖς τε καὶ οἰκείους καὶ πολίτας ἅπαντας εἶναι φύσει, οὐ νόμῳ· τὸ γὰρ ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ φύσει συγγενές ἐστιν, ὁ δὲ νόμος, τύραννος ὢν τῶν ἀνθρώπων, πολλὰ παρὰ τὴν φύσιν βιάζεται, quibus in verbis non minus quam in illis sententias eius ipsius, qui dicit, inesse omnes viri docti inter se consentiunt (Zeller, *Ph. d. Gr.* I 2^5 1182,2). Sed et Gorgias et Hippias alios alloquuntur, quo fit, ut Plato eorum verba non exscribat, sed, ut sermo fert, commutet. Accuratissime autem, cum Poli verba de hominum artibus artificiosissime dicta Gorg. 448 C adferat, verba auctoris laudati tenuisse videtur (Sauppe p. 6). Etiamsi enim Aristoteles Metaph. I 1 p. 981 a 4 sua e consuetudine Poli sententiam quam brevissime laudat, nihil tamen erat, quod Plato eam, praesertim cum genus dicendi Gorgianum prae se ferat, plenius redderet. Sed nescio an Plato haec verba eo consilio composuerit, ut Polum, qui a Gorgia staret, optime describeret. Utcumque res se habet, hoc, ni fallor, pro certo poni potest, Platonem praepositis illis ὦ Χαιρεφῶν atque verbis extremis additis id spectare, ut auctoris laudati verba tamquam sua fiant neque nimis a ceteris differant.

Ex his sententias auctorum ab ipsis, si non ad verbum, at certe satis accurate adferri concluditur. Et observamus sententias his locis sic laudatas diserte non exhiberi. Comparentur igitur cum his ei loci, quibus Plato auctores, velut Gorgiam et Protagoram in dialogis, qui eorum nominibus inscribuntur (p. 456 A sqq., quem locum supra commemoravimus, et 320 C sqq. cf. Frei Quaest. Protag. p. 183) plura verba dicentes introducit. Nam his quoque locis eum sententiis verbisque quibusdam auctorum usum esse satis constat; neque vero quem ad modum ea exscripserit diiudicare

certa ratione possumus. Hoc tantum dici potest, non esse verisimile auctores disputantes, cum Plato ne pauca quidem dicentes suis ipsorum verbis utentes faciat, sententias suas plura verba facientes verbotenus adferre. Hoc non solum sermo, sed etiam ordo nexusque sententiarum et auctorum ipsorum et dialogi Platonici, cuius sententiarum ordini ille accommodandus erat, prohibuit. Itaque Plato auctorum quos ut laudet uberius dicentes facit, singulis quidem verbis et sententiis, quantum fieri potuit, usus esse, atque etiam dicendi genus, praesertim ad Protagoram laudandum (cf. Frei) imitatus esse videtur; sed sententiarum ordo et compositio verborum, nisi fallor, eius ipsius sunt.

Haec omnia nobis de ratione auctores laudandi disputantibus tractanda esse inde apparet, quod sententiae ab auctoribus prolatae eorum, qui cum illis colloquuntur, verbis contrariae sunt, quo modo Plato eas sibi ipse non vindicat. Quicumque enim in eius dialogis collocuntur, eorum suas quisque partes agit, praesertim si Socrates cum eis disputat, qui ex aliqua parte res, quas ipsi scripserunt, proferunt. Quin enim Socrati verbi causa cum Polo aut Gorgia colloquenti Plato subsit, non dubium est (Gercke p. XXVI), sed Gorgiam aliqua ex parte suas sententias dicere vidimus. Quae uterque aut dicit aut vult, ea certe tam diversa sunt, ut Socrates, etsi alia profert atque quae Plato ipse excogitavit, non tamen placita Gorgiana proferat. Itaque haec Platonis ratio laudandi non re ipsa, sed specie (praesertim si auctores ab eis, quibuscum disputant, interrogati aliquid de suo dicunt) ab usitato modo laudandi differt. Quod Socrates quoque in Euthydemo, ut supra commemoratum est, Antisthenica adfert, non cum sophistis ipsis, sed cum Clinia colloquens laudat. Atque quia deflectit adlata ad suam sententiam explicandam, fit, ut ea, quae sophistae et Socrates proferunt, valde inter se diversa appareant. Ceterum raro ipse Socrates pennis alienis se videtur ornare, plerumque eius adversarii aut aliorum hominum doctorum aut suas ipsi sententias adferunt neque satis defendere possunt. Hoc vero nusquam melius intellegimus quam Gorg. 448 C, ubi Socrates Polum, postquam a Chaerephonte interrogatus verba supra commemorata pronuntiavit, reicere incipit: Καλῶς γε, ὦ Γοργία, φαίνεται

Πῶλος παρεσκευάσθαι εἰς λόγους· ἀλλὰ γὰρ ὃ ὑπέσχετο Χαιρεφῶντι οὐ ποιεῖ κτλ. Aliis locis, velut Gorg. 449 A sqq. et Prot. 328 D sqq. oratione a Protagora habita sermone longiore opus est, ut auctores laudati refellantur.

Hac quoque Platonis ratione laudandi auctores cognita reliquum est, ut et hanc et eam, quam antea exposuimus, cum artificiosissimae sint, in dialogis non observari statuatur, nisi in eis, qui arte summa confecti sunt. Hac igitur re scriptorum Platonicorum rationes auctores laudandi inter se differunt. Ceterum discrimina laudandi vix statui possunt, nisi quod in dialogis summae artis plenis saepius quam in ceteris versus libere ac licenter exscribuntur.

Platoni adiungendus est Xenophon, cuius in Memorabilibus et Convivio, quippe quibus sermones Socratici narrentur, eandem auctores laudandi rationem, qua Plato utitur, occurrere merito aliquis exspectabit. Neque dubium est, quin Xenophon nonnullis locis simili ratione usus esse videatur, ut Conv. 4,34 sqq. Antisthenem de divitiis et pulchritudine contemptim loquentem facit. At contra velim respicias eum locum, quo Socrates plura verba faciens sententia quadam Antisthenica utitur (Conv. 2,25: Winckelmann p. 48,21). Praeterea Platonis et Xenophontis rationes sermonum componendorum ita inter se differunt, ut Xenophon Platonis in adferendis auctoribus morem sequi dici non possit. Neque enim Xenophontis personae suas quaeque partes sustinent. Argumento est sermo, quem Socrates Conv. 3 cum Antisthene confert. Qui dicit § 6: Ἐκεῖνο δ', ἔφη ὁ Ἀντισθένης, λέληθέ σε ὅτι καὶ οἱ ῥαψῳδοὶ πάντες ἐπίστανται ταῦτα τὰ ἔπη; Tum Niceratus: Καὶ πῶς ἄν, ἔφη, λελήθοι ἀκροώμενόν γε αὐτῶν ὀλίγου ἀν' ἑκάστην ἡμέραν; Antisthenes ei respondet: Οἶσθά τι οὖν ἔθνος, ἔφη, ἠλιθιώτερον ῥαψῳδῶν; quod Niceratus negat: Οὐ μὰ τὸν Δί', ἔφη ὁ Νικήρατος, οὔκουν ἔμοιγε δοκῶ. Ad hoc Socrates, ut Nicerato Antisthenis verba planiora faciat, addit hoc: Δῆλον γάρ, ἔφη ὁ Σωκράτης, ὅτι τὰς ὑπονοίας οὐκ ἐπίστανται. Quin Antisthenes hoc loco non alia proferat, nisi quae ipse alibi scripsit, non videtur esse dubium. Nam Mem. IV 2,10 Xenophon Euthydemum, quem interdum cum Antisthene magnam similitudinem referre Dümmler (Antisth. p. 35)

optimo iure dicit, eandem in sententiam dicentem facit eodem verbo ἠλίθιος, quod Antisthenis ipsius esse videtur, usus: Μὰ Δί' οὐκ ἔγωγ', ἔφη· τοὺς γάρ τοι ῥαψῳδοὺς οἶδα τὰ μὲν ἔπη ἀκριβοῦντας, αὐτοὺς δὲ πάνυ ἠλιθίους ὄντας. Quin etiam Socratem Antisthenica illo Convivii loco praebere apparet ex aliquo Jonis dialogi, quem ad conscribendum auctorem Antisthenis studiis Homericis usum esse Dümmler p. 29 sqq. evicit, loco, quem Urban p. 28 notavit (530 B): . . . ἅμα δὲ ἀναγκαῖον εἶναι ἔν τε ἄλλοις ποιηταῖς διατρίβειν πολλοῖς καὶ ἀγαθοῖς καὶ δὴ καὶ μάλιστα ἐν Ὁμήρῳ, τῷ ἀρίστῳ καὶ θειοτάτῳ τῶν ποιητῶν, καὶ τὴν τούτου διάνοιαν ἐκμανθάνειν, μὴ μόνον τὰ ἔπη, ζηλωτόν ἐστιν. οὐ γὰρ ἂν γένοιτό ποτε ῥαψῳδός, εἰ μὴ συνείη τὰ λεγόμενα ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ· τὸν γὰρ ῥαψῳδὸν ἑρμηνέα δεῖ τοῦ ποιητοῦ τῆς διανοίας γίγνεσθαι τοῖς ἀκούουσι. Etsi Socrates illo Xenophontis loco verbo διάνοια non utitur, tamen dubitari non potest, quin Antisthenica dicat, praesertim cum ὑπόνοια paulo magis quam διάνοια id, quod Antisthenes in Homeri verbis reperire studuit, significet atque etiam illis μὴ μόνον τὰ ἔπη (scil. ἐκμανθάνειν) ea subsint, quae Antisthenes apud Xenophontem dicit: λέληθέ σε ὅτι καὶ οἱ ῥαψῳδοὶ πάντες ἐπίστανται ταῦτα τὰ ἔπη; Antisthenes igitur ipse hoc videtur dixisse, rhapsodos esse homines stultissimos, qui etiamsi Homeri versus memoria tenerent, tamen id, quod in poetae verbis lateret, non intellegerent. Hoc vero Antisthenis praeceptum Xenophon dividit in partes tres, quarum duas Antisthenem, tertiam Socratem dicentes facit.

Aeque Xenophon Conv. 4,6 sermonem composuit. Hoc capite postquam Callias qua in re gloriaretur exposuit et ab Antisthene reiectus est, Niceratus loqui coepit; quem cum ipsum librum de Homero confecisse non verisimile sit, non suam sententiam proferre, sed alium auctorem sequi Dümmler (Antisth. p. 29 sq.) probat. Atque si quis haec: (ἐκ τούτου δὲ ὁ Νικήρατος), Ἀκούοιτ' ἄν, ἔφη, καὶ ἐμοῦ ἃ ἔσεσθε βελτίονες, ἢν ἐμοὶ συνῆτε. ἴστε γὰρ δήπου ὅτι Ὅμηρος ὁ σοφώτατος πεποίηκε σχεδὸν περὶ πάντων τῶν ἀνθρωπίνων. ὅστις ἂν οὖν ὑμῶν βούληται ἢ οἰκονομικὸς ἢ δημηγορικὸς ἢ στρατηγικὸς γενέσθαι ἢ ὅμοιος Ἀχιλλεῖ ἢ Αἴαντι ἢ Νέστορι ἢ Ὀδυσσεῖ, ἐμὲ θεραπευέτω. ἐγὼ γὰρ ταῦτα πάντα ἐπίσταμαι cum verbis a Platone De rep. X 598 D scriptis comparaverit, proprius ad illius auctorem accedet. Platonis enim verba:

Οὐκοῦν, ἦν δ' ἐγώ, μετὰ τοῦτο ἐπισκεπτέον τήν τε τραγῳδίαν καὶ τὸν ἡγεμόνα αὐτῆς Ὅμηρον, ἐπειδή τινων ἀκούομεν, ὅτι οὗτοι πάσας μὲν τέχνας ἐπίστανται, πάντα δὲ τὰ ἀνθρώπεια τὰ πρὸς ἀρετὴν καὶ κακίαν, καὶ τά γε θεῖα ad Antisthenem respicere Dümmler p. 29 optimo iure contendit. Quod si Niceratus dicit: ἴστε κτλ., haec et rebus et verbis, quae apud Platonem legimus, quodammodo similia sunt. Πάσας τέχνας, quas Plato commemorat, Niceratus non universe sed singulatim adfert. Postea etiam versus Homericos, qui item in Ione dialogo (537 A) occurrunt, laudat. Quibus omnibus rebus efficitur, ut Niceratus, alter quasi Antisthenes, eius sententias et exempla Homerica, quibus ille usus est, proferat. Antisthenes ipse Niceratum, ut ea, quae pronuntiavit, suppleat, interfatur. Cum id spectet, ut ex eisdem Homeri carminibus qualis summus rex sit, cognosci posse dicat, Nicerato opitulatus probat Homerum omnes ad res humanas respicientem carmina sua composuisse, atque ea, quae Plato de sententiis Antisthenis Homericis dicit, confirmat. Nam ad virtutes a Nicerato numeratas Antisthenes quartam, virtutem optimi regis, adicit. Non igitur dubium est, quin ab Antisthene hoc loco suae sententiae proferantur atque versus Homeri ab eo laudatus una cum eis, qui secuntur, e libro Antisthenico haustus sit. Simili igitur modo, quo Socrates Conv. 3,6 Antisthenis verba eius ipsius doctrina usus supplet, hoc loco Antisthenes Xenophonteus Nicerati verba, quibus nihil aliud inest nisi quod Antisthenes ipse libro quodam scripsit, de suo supplet. Sic Xenophontis rationem libros conscribendi optime perspicimus: Antisthenis sententiis usus, cum alterum haec, alterum illa dicentem facit, in sermonem conglutinat.

Haec exempla idonea sunt, quibus Xenophontem Platonis arte non uti certiores fiamus. Immo huius modi locis ad placita utriusque adversarii conscribenda uno utitur fonte.

Quibus rebus absolutis, cum de more Graecorum in auctoribus adferendis satis multa disputaverimus, eorum laudandi auctores consuetudo in universum describenda est.

Ne eis quidem rationibus, quas modo tractavimus, cum artificiosissimae sint et fere poetarum modo adhibeantur, scriptores uti possunt nisi in libris esotericis. Porro cum hae rationes ad auctores a scriptoribus exagitatos pertineant, et ea, quae supra de aequalibus laudatis constituimus, confirmamus et eos nisi impugnandi causa non laudari solitos esse colligimus. Qua cum re convenit, quod plurimi Platonis dialogi et prima potissimum Memorabilium pars vel impugnandi vel defendendi causa scripta sunt. Nec minus Isocrates partim totas orationes, (Helenam, Busiridem, orationem adversus sophistas scriptam) contra aequales quosdam scripsit, partim in orationum prooemiis et alibi occasione data contra adversarios suos pugnat. Sed ab ea scriptorum Graecorum consuetudine, quam diximus, historici nonnumquam decedunt. Nam Herodotus, cum res scriptas et narratas non discernat, saepius res, quas auditu compertas habet, adfert neque refellit. Atque Xenophon Themistogenis nomine suum librum de expeditione Cyri scriptum laudat, ne idem bis narret. Quibus rebus exceptis ea, quae constituimus, valent. Cum etiam auctorum vetustiorum sententiae ut reiciantur saepius laudentur, quam ut comprobentur, hoc merito dicere possumus, scriptores Graecos alios non laudare nisi quos refutent aut reprehendant. Auctores sic esse laudatos non multo postquam soluta oratione uti coeptum est, ex reliquiis Heracliti discimus, qui alios quidem, quos reprehendit, nominatim adfert, Anaximandrum autem, cuius doctrina videtur usus esse, tacet (Diels, *Herakleitos v. Eph.* p. VII), qua de re et id contendi merito potest, scriptorum Graecorum consuetudinem auctores adferendi e pugna alterius auctoris in alterum edita ortum esse. Quae cum ita sint, auctorum verba a veteribus scriptoribus Graecis posteriorum rhetorum et scriptorum modo laudari non potuisse intellegimus. Quaecumque enim verba laudata, cum pulcherrime et commodissime dicta sint, auctoris, qui laudat, ipsius aut sententiam repetunt aut orationem luminibus dicendi illustrant, rhetorum modo laudata sunt. Itaque apud veteres scriptores Graecos verba sic laudata non inveniuntur, cuius rei aliud argumentum ex eis, quae paulo post scribemus, efficietur. Hac occasione data ne versus quidem rhetorum modo a veteribus scriptoribus Graecis laudari solere adnotetur, nisi quod versus aliam in sententiam deflexi illius rationis, quam diximus, initium faciunt.

Sed a versibus redeundum est ad ea, quae de verbis pedestribus laudatis exposuimus, breviter comprehendenda. Primum enim auctorum pedestrium verba laudata longe plurima oratione obliqua reddi solebant, quapropter fieri non potuit, ut accurate laudarentur. Deinde paucissimis locis auctorum laudatorum sententiae, non modo non pluribus verbis dictae, sed ne breviter quidem dictae, verbotenus oratione recta exscriptae inveniuntur. Tum plurima verborum laudatorum, quae eadem fere sunt, quae auctores ipsi scripserunt, auctorum celeberrimorum praeclare et commode dicta sunt. Denique scriptores operam dare solent, ut verba excribenda quoquo modo sua faciant. Etsi nos oportet putare scriptores multa, praesertim breviter dicta, de memoria laudavisse (qua ex re efficitur scriptores, etiamsi id egissent, multis locis verba ipsa exscribere vix potuisse) tamen eos alias libris ipsis usos esse verisimile est. Apparet igitur scriptores Graecos verba auctorum pedestrium ipsa exscribere neque voluisse neque potuisse. Lege enim quadam scribendi postulabatur, ut librorum oratione arte vincta scriptorum sermo unus et simplex esset atque aliorum auctorum sententiae quoquo modo concoquerentur. Hoc concedet si quis verba ex Hecataei libro ab Herodoto l. II laudata in ea historiae parte inesse consideraverit, cuius orationem Herodotum neque polivisse neque ita ut ceterorum librorum quarto excepto retractavisse Diels *(Herm.* XXII 444) suo iure dicit. Quae cum ita sint, exposuisse mihi videor artis scribendi praeceptum a nobis modo dictum, quod initio scribendi ipso in scriptorum Graecorum consuetudinem venisse videtur neque ab eo, de quo priore huius quaestionis parte disseruimus, differt, in verbis auctorum pedestrium adferendis multo magis quam in versibus exscribendis observatum esse. Sequitur, ut scriptores Graeci hac consuetudine ipsa quoque prohibiti sint, quominus verba ulla rhetorum modo laudarent.

Restat, ut de ea controversia, quae, ut mea opinio fert, nisi his rebus tractatis diiudicari non potest, quaeramus. Certe ad eam solvendam argumentum gravissimum proferre possumus. Agitur enim de L y s i a e oratione in Platonis P h a e d r o exhibita (230 E sqq.), quam quis scripserit utrumve Plato orationem Lysiae

laudaverit an finxerit, adhuc sub iudice lis est[1]). Si Platonem orationem Lysiae ipsam adtulisse verum est, eum totam hanc orationem ad verbum exscripsisse oportet. Neque enim modo Lysiam ipsam orationem composuisse atque Phaedrum ad eam discendam Lysiae libro usum esse Plato 227 C et 263 E et 228 B dicit, sed etiam Phaedrus volumen, quod sub veste abdidit, Socrati postquam prompsit, praelegit. Quae cum ita sint, nobis putandum est Platonem, si orationem ipsam e Lysiae libro exscripsisset, prorsus praeter consuetudinem suam verba Lysiae, auctoris pedestris, laudaturum fuisse. Sed e consuetudine auctores laudandi Platonica supra a nobis cognita fieri non potuisse intellegitur, ut totam alterius auctoris orationem ad verbum exscriberet. Sequitur, ut Plato Lysiae orationem ipse finxisse putandus sit. Itaque equidem assentior C. Fr. Hermanno, qui aliis argumentis nisus orationem amatoriam optime Lysiae more a Platone fictam esse probavit (*Gesammelte Abhdlg.* p. 1 sqq.). Eo, quod oratio a Phaedro legatur nos non cogi, ut orationem Lysiae esse putemus, suo iure dicit, et Platonem in Theaeteto dialogo sermonem de cognitione habitam ab Euclidis servo quodam simili modo lectum facere (Theaet. 143 C sqq.) neque minus quam colloquium ineunte libro habitum composuisse monet. Similiter in Phaedro Plato se Lysiae orationem laudare finxit. Sed praeterea etiam Menexenus ad Platonis rationem Lysiam laudandi explicandam adferri potest. Quo in dialogo Socrates Menexeno narrat orationem, quam habentem Aspasiam audivit. Antea a Menexeno interrogatus, num orationem memoria teneat, respondet 236 B: Εἴ μὴ ἀδικῶ γε· ἐμάνθανόν γέ τοι παρ᾽ αὐτῆς (sc. Ἀσπασίας), καὶ ὀλίγου πληγὰς ἔλαβον, ὅτι ἐπελανθανόμην. Aspasiae igitur orationem Socrates ad verbum memoria tenere videtur atque verbotenus reddit (236 D: ἔλεγε γάρ, ὡς ἐγᾦμαι, ἀρξαμένη λέγειν ἀπ᾽ αὐτῶν τῶν τεθνεώτων οὑτωσί). Neque vero quisquam dubitat, quin Socratis oratio in Menexeno habita a Platone ipso ficta sit. Platonem enim auctorem esse cum ceteri consentiunt homines docti tum

1) Pretzsch, De vitae Lysiae temporibus definiendis. Diss. Halis 1881 p. 17 sq. — Blass I 423 sq. — Norden p. 91, cuius in sententiam totus accedo.

Wendland sagaciter evicit (*Herm.* XXV 171 sqq.). Quid? Nonne de Lysiae oratione amatoria idem dici et potest et debet?

Sed prima verba sermonis amatorii 262 E et 263 E iterata et recensita nonnullis viris doctis totam orationem Lysiae esse probare videntur (Krische, *Gött. Stud.* 1847, II 955, Sauppe, Orat. Attic. II 209, Pretzsch p. 18 sq., Blass I 425). Putant enim mirum esse, quod Plato Lysiae verba ita composuerit, ut vituperare posset. Non recte. Neque enim e verbis primis recensitis sequitur, ut tota oratio aut prooemium Lysiae sit. Videlicet Plato eo consilio, ut vituperaret, orationem finxit. Neque putandum est eum sui commodi causa orationem ita composuisse, ut facile vituperare posset. Etsi non diiudicari potest, quem ad modum Lysiae verbis et sententiis usus sit, tamen certe eius dictionem, praesertim prima verba, quae potissimum vituperaret, tam bene imitatus esse videtur, ut primo aspectu is, qui Lysiae ipsius orationes legerat, eius rationem scribendi agnoscere posset.

Neque vero modo mirum est, quod Plato totam Lysiae orationem exscribere videtur, sed etiam quod, quamquam et Lysiam et eius orationem vehementer reprehendit, tamen eum ipsum nominare non dubitat. Nam Platonem, cum Lysiam sibi aequalem nominet, ab altera, quam constituimus, consuetudine decedere videmus. Quod ad explicandum diversae rationes adhiberi possunt. Nam inde, quod Lysias nominatim laudatur, Phaedrum post mortuum Lysiam, qui post annum a. Chr. n. 380 diem supremum obiisse videtur (Blass *Att. Ber.* I² 344), conscriptum esse effici potest. Quod propterea reiciendum est, quod scriptores Graeci ne mortuum quidem adversarium sibi aequalem, quem vituperandi vel corrigendi causa laudant, nominare solent. Nam Isocrates loco supra exscripto Platonis mortui nomen tacet (V 12). Sed Usenerum, qui Phaedrum a Platone adulescente circa annum 403 scriptum esse putat (*Rhein. Mus.* XXXV 131 sqq.), secutus fortasse dixerit quispiam Platonem studio philosophiae flagrantem atque incensum consuetudine aequalium neglecta eos, qui vanam quandam artem rhetoricam exercerent, vehementer impugnavisse neque, cum nominaret, aperte reprehendere dubitavisse, sed postea cautiorem factum adversarios, velut Antisthenem, non minus impugnatos de

industria tacuisse. Quarum rationum neutra comprobari potest, quod Spengel p. 745 sqq. Phaedrum ante Isocratis orationem adversus sophistas, quae circa annum 390 scripta esse videtur (Reinhardt p. 4 sq.), confectum esse evicit, qua aetate Plato iam non adulescens fuit neque Lysias mortuus erat. Quo consilio Phaedrus a Platone scriptus sit, his Gerckii verbis usus commode dicam: „Der Phaidros enthält das Programm einer wissenschaftlichen (d. h. philosophischen) Rhetorik, nicht für Platons Akademie, sondern für die Schule des Isokrates“ (*Herm.* XXXII 380). Quo factum est, ut Plato praeter consuetudinem suam Isocratem nominaret. Nam Platonem eo consilio, ut Isocrati, amico suo, Phaedrum dialogum mitteret, eum libro exeunte nominavisse Gercke optime contendit. Idem mihi benigne ac liberaliter permisit, ut ratione ab ipso inventa utar, qua cur Plato nominet una cum Isocrate Lysiam sola intellegi posse videtur. Lysiam enim atque Isocratem constat partes accusatoris et defensoris in causa Niciae agenda suscepisse, qua in causa celeberrima diu cum alios tum Antisthenem versantes alterum rhetorem defendisse Usener p. 142 sqq. egregie exposuit. Quod si Antisthenem putat Platonis Phaedro commotum esse, ut in libro ad illam causam pertinente, quem Diog. Laert. VI 15 (Ἰσογραφὴ ἢ Λυσίας [Wyttenb.] καὶ Ἰσοκράτης, πρὸς τὸν Ἰσοκράτους ἀμάρτυρον) laudat, utriusque oratione Niciana usus Lysiae et Isocratis facultates dicendi inter se compararet, non solum id repugnat, quod ante Phaedrum circa annum 390 scriptum Antisthenem causam anno 403 actam in iudicium vocavisse verisimile est, sed etiam id, quod Platonis Phaedrus non is fuisse videtur, quo Antisthenes commoveretur, ut Lysiae cum Isocratis orationem compararet. Neque enim Lysiae oratio in Phaedro cum ulla Isocratis oratione comparatur, sed Lysia condemnato Isocratis ingenium generosius esse facultate Lysiae dicitur. Itaque Antisthenes aliis causis commotus illi causae se immiscuisse atque Isocrate damnato Lysiae partes suscepisse videtur. Plato, cum iudicium de Lysia atque Isocrate faciat, ipse quoque ut alii, quid de oratoribus, qui Euthynum sive Niciam defenderint vel accusaverint, sentiat dicere videtur et id contra Antisthenis de Lysia et Isocrate iudicium. Ideoque Isocrati totum dialogum adscripsit:

ab opprobriis enim Cynicis cum vindicare voluit. Atque hunc si laudavit, adversarium eius ab Antisthene praelatum silentio praeterire ne potuit quidem. Sed ne tum quidem, si forte Phaedrus Antisthenis librum aetate anteivit, fuit, cur Plato et Lysiam et Isocratem nominared ubitaret. Nam cum Antisthenis liber, cuius vel titulo Lysias et Isocrates nominati sunt, in hac causa publice tractata homines in ea versantes palam nominatos esse doceat, consentaneum est ne Platonem quidem in libro suo ad causam illam celeberrimam pertinente Lysiam atque Isocratem tacuisse. Quod erat demonstrandum.

Haec habeo, quae dicam de scriptorum Graecorum, qui ante Aristotelem fuerunt, ratione auctores laudandi. Aristotelis quoque de consuetudine quaerere omitto. Neque enim modo ad omnem quaestionem a me tractatam sed etiam ad ipsa Aristotelis scripta intellegenda eius ratio laudandi auctores tanti momenti est, ut quaestio de ea instituenda in longiorem diem nobis differenda sit.

Index locorum.

VITA.

Natus sum Rudolfus Seippel in vico Ost-Ingersleben prope Magdeburgum sito a. d. VI. Kal. Aug. anni MDCCCLXXIX patre Ludovico, qui nunc in vico Alvensleben rebus divinis operam dat, matre Helena e gente Reinicke, quos adhuc superstites esse ex animo gaudeo. Fidem profiteor evangelico-luthericam. A patre elementis antiquarum litterarum instructus puer duodecim fere annos natus in gymnasium Helmstadiense, quod Ludovico Drewes rectore, viro humanissimo, floret, receptus sum. Septennio post cum testimonio maturitatis dimissus Gryphiam migravi, ut scholis virorum iuris consultorum interessem. Ab autumno anni MDCCCLXXXXVIII studiis philologicis Lipsiae et Gryphiae per quinquennium fere operam dedi, quo temporis spatio peracto examen pro facultate docendi a. d. IV. Id. Jan. anni MCMIII Gryphiae absolvi. Scholis me docuerunt viri doctissimi Brugmann Heinze Holz Immisch Lipsius Schneider Schreiber Sievers Steindorff Studniczka Wachsmuth Zarncke *Lipsiae,* Bosse Bruinier Coulet Credner Cremer Deecke Gercke Heller A. Körte Kroll v. Nathusius Pescatore Rehmke Reifferscheid Rosemann Schmekel Schmitt Schultze Seeck Siebs Stoerk Zimmer *Gryphiae.* Seminarii philologici ut sodalis essem per quater sex menses benigne ac liberaliter mihi concesserunt Gercke et Kroll, in seminarium historicum Seeck liberalissime me recepit, ut seminarii germanistici sodalis essem per tria semestria extraordinarius per bis sex menses ordinarius factum est Reifferscheidii erga me benevolentia. Denique exercitationes archaeologicas a Preunero, epigraphicas a Gerckio Koertio Krollio, palaeographicas a Bernheimio Gerckio, metricas a Koertio, historicas a Bernheimio, geographicas a Crednero, philosophicas a Schmekelio Schuppio institutas frequentare mihi licuit, ad excursiones geographicas Credner summa me admisit liberalitate.

Quibus viris illustribus omnibus optime de me meritis, imprimis Gerckio Koertio Krollio, qui semper summa cum benevolentia in artibus studiisque colendis consilio ac consuetudine me adiuverunt, gratias et nunc ago debitas et semper gratiam habebo maximam.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

Scriptores Graeci recentiores in laudandis auctoribus non tam rationem Platonis eorumque, qui aut ante eum aut eisdem temporibus floruerunt, quam Aristotelis secuntur.

II.

Versus 773—788 et 903—930, qui in corpore carminum Theognideorum traduntur, a Theognide ipso non scriptos esse correptione Attica his in versibus adhibita probatur.

III.

Dialogum, qui Ἴων inscribitur, non Plato ipse, sed discipulus quidam libris Antisthenis Homericis usus conscripsisse videtur neque id ad Antisthenem irridendum.

IV.

Marx cum de locis ab Aristotele in arte rhetorica laudatis tum de auctore artis rhetoricae non recte iudicat.

V.

Ut Aen. IV 435 sq. legatur

extremam hanc oro veniam (miserere sororis),
quam mihi cum dederis, cumulatam morte remittam

arte rhetorica a Vergilio ad orationes Aeneidos componendas adhibita (cf. Serv. ad. Aen. I 65) suadetur.

VI.

Schade vocem *wunsk* significare adoptionem falso putat.